ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY



Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/introductiopatho0000unse

INTRODUCTIO PATHOLOGICA

AD STUDIUM

THEOLOGIÆ MORALIS

DEL MISMO AUTOR

El cerebro, los nervios y el alma en sus mutuas relaciones. *Estudio experimental de psicología normal y patológica*, dedicado especialmente a Médicos, Sacerdotes y Abogados. – Un volumen de 12 $^1/_2 \times 20$ centímetros, de XVI-446 págs. En rústica, Ptas. 5; en tela, Ptas. 6.

Los enfermos de la mente. *Estructura, funcionamiento y reformas que se imponen en los manicomios.* – Un volumen de 12 $^1/_2 \times 20$ centímetros. En rústica, Ptas. 1.

Curso de psicología escolar para maestros. Dado en la Universidad Industrial de Barcelona el año 1915. – Un vol. de 12 $^1/_2 \times 20$ centímetros, de XV-501 págs., con 10 láminas fuera de texto, impresas en papel *couché*. En rústica, Ptas. 5; en tela, Ptas. 6.

La moral en la calle, en el cinematógrafo y en el teatro. *Estudio pedagógico-social.* – Un volumen de 11 $^1/_2 \times 19$ cm., de VIII-256 páginas. En rústica, Ptas. 2; en tela, Ptas. 3.

LUIS GILI • BARCELONA

INTRODUCTIO PATHOLOGICA

AD STUDIUM THEOLOGIÆ MORALIS

SIVE DOCTRINA CLINICA RITE COMPROBATA
PRO CONFESSARIIS

PLURIMIS FIGURIS ILLUSTRATA

OPUS CONFESSARIIS, CONSCIENTIÆ MODERATORIBUS,
THEOLOGIÆ MORALIS PROFESSORIBUS, RESERVATUM

AUCTORE

R. P. FRANCISCO A BARBENS
O. M. Cap.

TARRACONE
Apud Josephum Armengol • Plaza de la Fuente

Barcinone, Aloysius Gili, bibliopola • Claris, 82

1917

LICENTIA ORDINIS

IMPRIMATUR

Fr. Fermin de La-Cot, O. M. Cap.
Min. Prov.

LICENTIA ORDINARII

NIHIL OBSTAT

El Censor,
José Puigdesens, C. M. F.

Tarragona, 11 de noviembre de 1916

IMPRIMATUR

Michaël Serra
Vicarius Generalis

Iura quæ a lege sunt
auctor sibi vindicat.

CONFESSARIO BENEVOLO

Factis quotidie comprobatur, notabiliter adaugeri numerum ægrotorum in ordine mentali atque in ordine morali, necnon series perturbationum sexualium. Locus igitur confessioni audiendæ destinatus, est quasi clinica in qua nerveas atque sexuales perturbationes cognoscere debemus. En factum.

Alias fatendum est confessarium non semper satis dispositum inveniri ad naturam intimam affectionis morbosæ attingendam, nec ad characteres essentiales phænomeni pathologici dijudicandos. Hac de causa opportunum nobis vissum est, hanc doctrinam histologiæ ac physiologiæ pathologicæ, simul cum psychologiæ experimentalis principiis, fratribus in sacerdotio tradere, ut melius clinicam diagnosim circa has omnes ægritudines atque affectiones instituere valeant.

Nihil obstat ut sacerdos præfatis quæstionibus accurate studeat; nam præterquam quod hac scientia seu disciplina indiget ut munus suum rite adimpleat, meliorem affert præparationem quam medici ut de sexualibus spiritualiter ac pudice pertractet.

Scholastici, quidem, qui medicinæ et chirurgiæ incumbunt, generatim minorem secum ferunt resistentiam moralem, quum quæstiones medicas ac chirurgicas ad pathologiam sexualem spectantes aggrediuntur, quam sacerdotes, quibus diu in seminario doctrina spiritualis traditur et amor castitatis fortiter inseritur. Sacerdotes sunt veri animæ medici, non qua a corpore separatæ sed quatenus actus

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

illa exercet simul cum corpore. Perturbationes spirituales quandoque ab alterationibus encephalicis, quandoque vero occasione læsionum aliis visceribus illatarum producuntur.

Lector sollers, in nostro latino sermone perspicuitatem magis quam ornatum, scientificorum simplicitatem magis quam grammaticorum elegantiam curabamus, tamen mendis ignosce quæ invenias. Et vale.



Fig 1

I

a, arteria carotida. — *b*, larynx. — *c*, pulmo. — *d*, cor. — *e*, jecur. — *f*, vesicula biliaris. — *g*, stomachus. — *h*, colon transversum. — *i*, cæcum. — *j*, appendix

II

a, capsula surrenalis. — *b*, renes

PROLEGOMENA

I

DE NATURA THEOLOGIÆ MORALIS PATHOLOGICÆ

Theologia moralis, sensu normali accepta, definitur: «Scientia activitatis humanæ, prout ad finem ultimum supernaturalem dirigitur.» (Noldin.)

Theologia moralis pathologica est: *Scientia activitatis humanæ, quatenus ex natura infirma procedit, et responsabilitate privatur, vel notabiliter minuitur.* Natura dicitur infirma, quando ob defectum organicum, ipsa, rationali et libera activitate magis minusve privatur. Hujusmodi infirmitas procedere potest interdum ex insuffcientia mentali, ex quadam anesthesia morali, ex perturbatione imaginum in cerebro degentium, ex gravi exaggeratione emotiva et ex quamplurimis quibus impeditur activitas normalis animæ rationalis in corpore et hujusce in anima.

Talis defectus seu hocce impedimentum, quandoque est gravissimum et tunc penitus tollit responsabilitatem, quandoque grave et notabiliter minuit conscientiæ et libertatis interventionem.

Ne multa proferam: natura ut graviter infirma attingitur, quando propter mentalem vel moralem vel organicam insufficientiam; aut e contra, ob maximam exaggerationem ideæ obsidentis necnon imaginis sensibilis, emotionis, corporeæ hyperactivitatis, etc., irregulari modo, seu melius, perturbativo modo in activitatem humanam influit.

Objectus materialis est tota activitas, non qua rationalis vel libera, nec qua activitas mechanica atque irresponsabilis, quæ debuit esse libera et responsabilis; sed quatenus acti-

vitas; nam quatenus attingit hos actus a natura graviter læsa productos, qua fit, ut omni responsabilitate careat vel ipsa notabiliter minuatur, vocatur *objectus formalis* (1).

II

DE NECESSITATE THEOLOGIÆ MORALIS PATHOLOGICÆ

Theologia moralis duo amplectitur elementa: variabile unum, alterumque immutabile. Veritates morales in se semper immutatæ manent, a nobis vero, non semper eadem claritate dispicitur earum realitas. Idcirco theologia juges progressus facere debet, utpote progressus scientiarum ejus cognitio insequens.

Hodiernis temporibus, physiologiæ evolutio evidenter adipiscitur et firmo nexu tangit theologiam moralem. Actiones humanæ persæpe apparent alligatæ defectibus organicis seu conditionibus pathologicis nerveorum centrorum. Unde oritur phænomenon pathologicum cui novis conditionibus studendum est et ad praxim idem aliter applicandum. Permultæ dantur infirmitates seu perturbationes in nerveis centris, quæ omnino transcendunt ad moralitatem actionum; hoc est, decursu temporis nova detecta sunt principia, quibus cognitionum humanarum thesaurus augetur et perficitur. Hujusmodi principia sunt stricte physiopathologica, quæ perbelle inserviunt seu applicantur casibus moralibus

(1) «Psychopathologia— scribit clarissimus Noldin,—est scientia, quæ vitam animæ ad normam considerat, ut inde regulas hauriat circa puerorum educationem, delictorum imputationem et curam animo ægrotorum. Hæc ipsa scientia magnam utilitatem affert pedagogis, judicibus in causis criminalibus, et moralistis; sunt tamen, qui ex eadem scientia contra voluntatis libertatem argumenta depromant. Siquidem considerant agendi modum hominum diversis animi morbis (insania, dementia, paranoia, epilepsia, hysteria) laborantium, qui, cum in actionibus suis libertate careant, inde generale principium inferunt, hominem non esse libertate instructum.

»Verum, ex eo, quod animo ægroti seu psychopathici libertate in agendo destitui appareant, non sequitur etiam mente sanos libertate destitui, nisi quis affirmare velit, non esse hominem mente perfecte sanum, sed omnes plus minusve insanire. Concedi nequit psychopathicos libertate prorsus destitutos esse; sicut enim ipse morbus animi diversos gradus habet, ita etiam libertas ex influxu ejusdem morbi in aliis plus minusve minuitur, in aliis penitus extinguitur.» (*Summa Theologiæ Moralis*, I, pag. 31. Œniponte, 1912.)

ab intelligentia insufficienti vel graviter obsessa, a voluntate infirma, a sensibilitate inversa atque a læsionibus somaticis elaboratis seu confectis. His omnibus studet theologia moralis pathologica; æquum est enim attribuere naturæ mechanicæ et organicæ quod suum est, et injustum adnumerare inter actus conscientes omnes quos natura ægrotans seu notabiliter defficiens reapse producit. Inter scientificas disciplinas nunc temporis seculo excoluntur physiologia et psychopathia, theologiæ morali valde affines.

III

MORALIS CLINICA DEBET ESSE EXPERIMENTALIS

Ex principiis et conclusionibus pathologicis conficitur systema morale quoad materiale elementum; nam doctrina pathologica non alia autumatur quam physiologica homini infirmo applicata. Proinde principia pathologica, mediante processu inductivo, ex physiologia experimentali educta sunt. Juxta doctrinam experimentalem rite probatam, eruuntur conclusiones plus minusve probabiles vel certæ, quæ ad theologiam moralem attinent.

Activitas humana eatenus dijudicatur responsabilis, quatenus majores vel minores gradus libertatis et conscientiæ eam comitantur; seu clarius: exercitium intelligentiæ, voluntatis, libertatis et conscientiæ pendet ex plurimis conditionibus organicis experimentaliter cognitis, quorum ritmus et processus normalis vel pathologicus præbet mensuram graduum responsabilitatis vel irresponsabilitatis in actionibus humanis.

Nomine methodi venit modus et forma quæ in proponendis principiis et legibus moralibus servatur. Præter methodum scholasticam et casuisticam datur methodus positiva quæ nititur processibus positivis naturalium scientiarum. In scientia morali, utpote aliquid compositi humani, perscrutanti necessarium existimo studium analyticum simul et inductivum de factis physiologicis; functio enim organica

intra materiam effecta, maxima funget interventione in conficiendis actibus humanis.

Quamvis hanc methodum præ reliquis sectemur, tamen prout scientia moralis postulat, cum ipsa scholastica et casuistica eam conjungemus; nam veritates morales e factis eductæ seu desumptæ accuratius explicantur ope principiorum theologiæ ac philosophiæ scholasticæ. Analysis factorum simul cum synthesi principiorum constituunt potissime methodum ad theologiam moralem pathologicam applicabiliem.

Fontes supremi hujusce theologiæ sunt: revelatio divina, ratio humana et experimentatio physiologica et pathologica; brevius: factum clinicum naturaliter et supernaturaliter inspectum.

LIBER PRIMUS

DE PERTURBATIONIBUS ORGANICIS

Commoditati necnon faciliori lectoris comprehensioni consulentes, sequentem statuimus divisionem, quæ gressus nostros diriget per totum hocce studium; nempe, dispertitur in *perturbationes organicas, perturbationes ideativas, perturbationes emotivas* atque *perturbationes sexuales.* Re quidem vera, quæcumque phænomena pathologica ad ordinem moralem spectantia, ad hæc principia et facta reducuntur.

CAPUT PRIMUM

DE NATURA PSYCHOLOGIÆ PATHOLOGICÆ: NOTIONES ELEMENTALES

Ut clarius appareat natura hujusce scientiæ præ oculis habendæ sunt notiones elementales disciplinarum quæ integritatem et scopum quæstionis constituunt. Proinde nequit theologus judicare de bonitate vel malitia actionum, quin aliquam cognitionem habeat de hystologia, physiologia et psychologia pathologica. Non immerito ergo sequentes articulos adducam ut clarius perspiciatur valor ætiologicus et symptomaticus cujusque læsionis organicæ necnon perturbationis functionalis, et mensuræ philosophicæ ac moralis humanæ responsabilitatis.

I. De læsionibus et toxi-infectionibus organicis. Psychologia pathologica firmiter tenet, quod integritas intelle-

ctualis nullatenus datur absque materiali neuronarum integritate, quæ sunt et operantur in cortice cerebrali. Cellulæ nerveæ, seu neuronæ evidenter in operationem intellectualem summa efficacia influunt, ut fusius infra videbitur.

Nunc aliqua præmittere oportet circa schematicam cellularum necnon textilium structuram.

Cellula est corpusculum quoddam microscopicum, vita individuali præditum et insuper ex tribus elementis constitutum: *protoplasmate*, scilicet (citoplasmate), *membrana* et *nucleo*.

Protoplasma est substantia pellucida, granulosa, semisolida nucleum inter et membranam posita.

Membrana est cortex transparens cellulam involvens.

Nucleus est corpusculum vesiculosum intra protoplasma jacens et præcipue constitutum ex quadam materia, quæ vivide carminium et anilinas basicas (nucleinam et cromatinam) ad se trahit. Nucleus probabiliter regit actum multiplicationis atque hereditatis.

Chemice inspecta cellula constat quoad *protoplasma*: *plastina* jacenti in reticulo; *aqua*, elemento superabundanti (71'6 %); *sale* (29 % in substantiis solidis).

Quatuor quoque elementa in protoplasmate reperiuntur, scilicet: carbonium, oxygenum, hydrogenum et azotum, quæ plura composita azotata sive albuminoides efformant ex quibus protoplasma conficitur. Protoplasma, juxta cytologos est irritabile, hoc est, mutat formam et compositionem vi causarum excitantium.

Nucleus constat: *cromatina* vel *nucleina*, pirenina, et linina, quæ ligat inter se cromatinæ granulos ad continuitatem reticuli efformandam; constituit, ideo, substantiam acromaticam reticuli.

Veram cellulæ compositionem difficile assequimur eo quod chemica organica quotdies novos adipiscitur progressus: hujusmodi organa, tamen, oriuntur ex plurimorum proteiduum associatione.

Physiologice inspecta cellula gaudet cunctis functionibus quibus comitatur organismus. *Apprehendit* seu *suscipit* alimentum ope quarumdam expansionum a protoplasmate emissarum; *cibum concoquit*, substantias nutrices

assimilat cæteraque *disolvit*; *respirat* alliciens oxygenum; *secretat* generans substantias, quæ ad coctionem destinantur; *excretat* quæ organismo haud inserviunt; et *moritur* sive per intoxicationem, sive per infectionem, læsionem, etc. (1).

Prætermissis cæteris textis, in texto nerveo tantum immoramur utpote ad scopum nostrum magis attingenti.

Textum nerveum constituit cerebrum, cerebellum, medullam longam, quibus encephalum conficitur; necnon medullam spinalem et nervos totum corpus pervadentes. Hocce systema nerveum *centra* et *ductores* comprehendit: prima servant et transformant vim quæ vulgo nominatur *energia;* alteri sumunt vel accipiunt energiam exteriorem, intra eam ducunt et viceversa et sic exterius emittitur.

Substantia grisea nervei systematis prædicta centra amplectitur; *substantia alba*, vero, comprehendit ductores.

Neurona, de qua alibi agitur, est ipsamet cellula cum ejus protractionibus. Protractiones protoplasmaticæ (cellulipetæ) vocantur *dendritæ*; cæteræ vero seu cylindraxiles nominantur *axones*.

Divisiones extremæ protractionum cellularum non connectuntur cum divisionibus proximarum cellularum nervosarum, sed protractiones seu productiones protoplasmaticæ in quamplurimos dividuntur ramos, quorum singuli finem libere habent. Unde contactus efficitur, non per *continuitatem* sed per *contigüitatem* protractionum.

«*Fibræ nerveæ* sunt longa filamenta quorum color est *albus* vel *griseus*, prout ortum ducunt ex encephalo et medulla spinali, vel spectant ad systema nerveum, quod dicitur hispanice *gran simpático*... Fibræ nerveæ simul conjunguntur per laminas texti connectentis; cellulæ vero nerveæ inter se habent cellulas radiatas cum longis productionibus (protractionibus), quæ efficiunt delicatam retem, cujus officium est sustinere cellulas nerveas; hæ cellulæ radiatæ dicuntur *neuroglia*.» (Antonelli.)

Cellula multipliciter lædítur: primo in substantia cromatica, cum hæc notabiliter minuat quoad quantitatem

(1) Vide CAJAL, *Manual de Histología normal*, cap, V et VI.

(*cromatolisis*); et in substantia acromatica evidenter degenerata per inflationem. Idem dicito de protractionibus protoplasmaticis seu dendritis.

Nucleus læditur per notabilem mutationem formæ, loci, voluminis et colorationis, quas frequenter degenerationes elementorum sequuntur.

Ex factis physiologicis liquet, quod cellula nervea est summe vulnerabilis, tum sub actione intoxicationis tum infectionis vel traumatismi. Hujusmodi læsiones, in genere, secum ferunt signum *ætiologicum*, quatenus nobis ostendunt causam perturbationis; signum *pronosticum*, vi cujus prævidetur sors cellulæ; et signum *symptomaticum*, quatenus præbet nobis mensuram necnon naturam inordinationis seu confusionis functionalis.

Studium seu investigatio læsionum et degenerationum quæ in fibris nervosis reperiuntur commonstrat nexum intimum qui inter distinctas partes neuronæ existit, præsertim inter corpus cellulare et protractionem cylindraxilem; nam omnis læsio cuilibet parti neuronæ illata, potest structurales perturbationes in alteram partem inferre.

Patet omnino influxus a natura statutus, animam inter et elementum somaticum. Præ oculis habendum censemus hujusmodi commercium ut facilius veritatem attingamus in plurimis phænomenis dijudicandis. Improprium autumamus criterium a principiis idealistis inspiratum et ex processibus pure metaphysicis eductum; prorsus putamus consulenda facta realia in psychologia experimentali inspirata et præ scientiarum progressibus efformata. Itaque sacerdos, præsertim confessarius, debet proprium criterium morale sibi efformare, quin ipsi liceat principia, facta et eductiones psychologiæ experimentalis temere despicere vel oblivioni dare.

II. Relatio existens inter læsiones organicas et perturbationem mentalem. Vitanda sunt, in hac quæstione, duo extrema æque reprobabilia: affirmationes nempe scholæ *somaticæ*, juxta quam omnis dementia vel semidementia e perturbatione organica provenit; et criterium scholæ *idea-*

listæ, quæ omnem actionem ætiologicam ex organismo vel in organismum inficiatur.

Nos vero, certius et tutius criterium insequentes, asserimus factum interventionis somaticæ æque ac spiritualis in mentis deformatione. Quandoque unica datur causa, quandoque multiplex.

Hodiernis temporibus, clinica magnam quantitatem perturbationum mentalium affert, ex origine dumtaxat organico, ut infra videbitur.

Nomine «somatici» vel «organici» non intelligitur tantum quod refertur ad encephalum, sed etiam ad quascumque partes corporis, in quas influere licet ad confusionem conscientiæ vel in activitatem reflexam.

Morel in suo opere *Traité des maladies mentales*, magnam utero concedit actionem in productione melancholiæ et in aliis perturbationibus psychicis. Idem asserunt sectatores scholæ extracerebralis. Si paucos excipias, omnes concedunt, ut alibi dictum manet, quod casus pathologici sive in ordine mentali sive in ordine morali agnoscere possunt, velut causam, traumatismos cerebrales vel extra cerebrales, infectiones, intoxicationes, læsiones plus minusve graves in organis genitalibus; admittunt, præterea, actionem imaginum, idearum, quarumcumque animi affectionum, sensationum necnon actionem perturbatricem sensuum externorum.

Schola præstantior et communior est revera *schola clinica*, quæ attingit potissime *factum clinicum*, id est, perturbationem mentalem vel moralem, et modo parallelo inveniuntur intoxicatio, infectio, traumatismus, etc., qui rationem reddunt phænomeni pathologici.

Lucien Picqué (*Psychopathies et chirurgie*. I. Doctrines et faits; Paris, 1912) adducit ut causas pathologicas: nervorum affectiones, organorum defectus quoad nutritionem, affectiones cordis, renuum, jecoris, sanguinis, sensuum, glandularum et omnium corporis elementorum, quæ alicujus momenti sunt. Dr. Neu in 147 operationibus chirurgicis in dementes habitis, recenter adinvenit 131 casus læsionum vascularum, 110 læsionum renalium, 102 affectiones meningiticas, 121 læsiones neuriticas et 59 tuberculoses pulmonares.

CAPUT II

DE LIMITIBUS PSYCHOPATHOLOGIÆ IN MORALIBUS QUÆSTIONIBUS

Duo in hoc genere disputationum vitari debent extrema: primum quod asserit cunctas nostras actiones procedere ex statibus pathologicis; alterum, quod sustinet nullam dari interventionem ipsorum in actibus hominis; nam patet pro utraque parte, quod dantur status psychoneurotici, vulgo *psychastenia* vocati, qui penitus effugiunt directionem conscientiæ; et similiter aliis in casibus inficiari nequeunt status responsabilitatem notabiliter minuentes; quamvis maxima pars actuum moralium absque dubio, exercentur intra conditiones conscientiæ et libertatis.

In præsenti statu scientiæ experimentalis non licet ambigere de strictis relationibus quæ ligant materiam et spiritum; læsiones organicas cum phænomenis psychicis; status morbidos cum irresponsabilitate plurium actuum humanorum.

Nemo non videt, quod theologia moralis pathologica, seu præsens *Introductio pathologica ad studium theologiæ moralis* haud agit de statibus et phænomenis quæ reperiuntur in vere et proprie *dementibus*, sed tantum de statibus in clinica mentali vocatis *neurosi* et *psychoneurosi*. Plurima scripta sunt volumina de morali normali, sed paucissima typis manddata sunt circa moralem pathologicam agentia, vel circa phænomena dubiæ responsabilitatis.

Nomine *neurosis* intelliguntur «quædam affectiones nervosæ absque læsionibus organicis, etiam ope instrumentorum quibus in præsenti utitur in laboratoriis, fere imperceptibilies». (Ita Raymond, Littré et alii.)

Dantur aliæ affectiones in quibus aperte intuetur prædominium ideæ, imaginis vel cujusdam perturbationis sensus affectivi, quibus respondet semper substractum anatomicum in centris nerveis, per quæ præcipue exercentur operationes psychismi superioris et psychismi inferioris. Clarius infra, ubi agitur de natura et potissimis characteribus seu attributis neurastheniæ et psychastheniæ, inter quas adest summa et essentialis distinctio.

I. **Natura psychopathologiæ.** *Pathologia* est scientia quæ agit de alterationibus organismi sive quoad partes ejus constitutivas, sive quoad functiones physiologicas; seu clarius, est scientia quæ agit de infirmitatibus. Nomine *psychici* intelligitur in scientia medica phænomenon quod producitur et evolvitur in neuronis corticis cerebralis; actus psychicus est actus corticalis juxta Grasset.

Sensus ergo naturalis psychopathologiæ est: studium alterationum, perturbationum seu infirmitatum quarumcumque, quæ generantur et evolvuntur in cortice cerebrali.

Nos comprehendimus in hacce definitione psychismum inferiorem æque ac superiorem. Protrahitur pariter sensus definitionis ad præstantiores vias medullæ, quippe quæ in œconomia dinamica organismi exercet veluti organum sensitivum, motor, vasomotor et trophicum.

Quæ est, igitur, natura morbi mentis? Nam morbus, et melius hic ægrotatio, status est corporis, quo manente, corpus non implet illas functiones, quæ dantur ut normales. Ægrotatio semper ostenditur per quasdam perturbationes functionales, quæ causam habent alias agitationes anatomicas in organismo. Perturbatio mentalis manifesta fit ideationis defectu seu volicionis, nam hic semper supponit læsionem aut mutationem in substantia. Nunc vero, læsio potest esse in animo? At, hoc absurdum! Nam simplex substantia mutationem minime pati potest. Sed læsio pathologica est mutatio. Quare non potest dari. Quum igitur de morbis animi dicitur, hoc sensu metaphorico tantum intelligendum est.

Animus vero omnes suas operationes aperit et manifestat instrumento corporis, cum quo substantialiter conjunctus

manet. Omnibus patet relatio vel nexus intimus, qui semper habitur cerebrum inter et ideationis seu volicionis processus. Etiam notum est graves perturbationes massæ encephalicæ vecordiam parere. Morbus, igitur, mentalis a læsione organismi pendet, sive æc sit visceralis sive peripherica; et non numquam etiam a functionali perturbatione; manifestatur autem per insuficientiam et aliquando per interruptionem cursus normalis ideationis et volitionis.

Oportet semper ante oculos habere animum ad suas operaciones spirituales perficiendas elementa exteriora mundi sumere, corporis adjumento, atque etiam auxilio corporis suas omnes functiones marifestare. Functio, vero, non datur ut pura abstractio, sed tantum ut dependens ab illo organo a quo impletur. Propterea illæ omnes perturbationes, «functionales» dictæ, ut sunt naturæ nervosæ, læsionem semper accusant in organismo, quamquam illa sæpe vobis occulta maneat.

II. De actione mentalis infirmitatis in centra nervea. Ut dictum manet, elementa essentialia a quibus crebro producuntur status psychoneurotici sunt: ideatio, affectivitas et elementum organicum. Rationabiliter sustineri valet, quod læsiones anatomicæ vel physiologicæ magni momenti, producere valent perturbationes mentales necnon status psychopathicos; idem dicito de quibusdam alterationibus nervosis ab elemento ideali vel affectivo productis.

In primis, doctor Otto Marburg, in studio recenti (1912) circa relationes existentes inter glandulas vasculares et systema nervosum, asserit glandulas vasculares sanguineas actionem exercere præsertim in dessasimilationem; et speciali modo generaliter influere super cerebrum et ejus. corticem Permultæ dantur infirmitates, ut infra videbimus, quæ eamdem perturbationem producunt; sicuti etiam perturbationes mentales vel psychicæ, cum ad notabilem intensitatem perveniant, gignunt alterationes somaticas.

In mente habe, benevole lector, quæ scripta sunt in hisce paragraphis circa relationes spiritus et materiæ, nam in posterum sæpius applicabuntur principia superius posita.

III. De natura actus moralis. «Actus humani dicuntur illi, qui ex ratione et voluntate, seu ex deliberata voluntate procedunt.» (Ita S. Thomas, 1, 2, q. 1, art. 1.) Cætera ad actus humanos, sensu normali acceptos, spectantia abunde in compendiis theologiæ moralis pertractantur. Ideo omittendum opportunius censemus, quidquid modo generali traditur in prædictis institutionibus.

Ex dictis liquet, quod homo operans ut rationalis producit actus morales, nempe actus responsabiles; non vero cum agat dumtaxat ope virium animalium et organicarum, tunc enim sunt *actus hominis*. Actus moralis est revera ipse actus humanus.

Moralitas duplicem habet characterem: *objectivum* videlicet et *subjectivum*. Primo moralitas consistit in conformitate vel disconvenientia actionis cum lege morali. Actus entitative seu physice sumptus semper est bonus: actio aliquam personam necandi, in se, seu physice inspecta est bona; in ordine vero morali bona vel mala erit quatenus conveniat vel non cum lege morali. Itaque actio necandi potest conformari legi morali justitiæ socialis vel non eidem adæquari: primo erit actio moralis; secundo, immoralis.

Non licet inficiari suppositum indefectibilis legis moralis existentiæ, communis actuum normæ et criterii generalis eos judicandi. «Formaliter in voluntate nata est esse non solum rectitudo habitualis, sed actualis—ait Scotus;—ita quod actualiter conformatur regulæ suæ, ita quod actus suus eliciatur propter talem finem, quem judicat recta ratio quantum ad omnes circumstantias, quas recta ratio dictat, et bonitas in istis circumstantiis est perfectio secunda, et non conformari rectæ rationi, est peccatum, quod est formaliter corruptio boni, scilicet, rectitudinis actualis... Est igitur peccatum actuale, privatio rectitudinis actualis vel carentia justitiæ actualis nata inesse cum debito habendi eam.» (Repport., II Sent., dist. 35.)

«Malum in actu—scribit S. Bonaventura,—non habet causam effectivam, sed causam defectivam, quia malum non est nisi carentia boni quod debuit esse.» (II Sent., dist. 34, a. 1.)

«Voluntas—addit Scotus,—vel potest se subjicere regulæ morali vel non; si non potest, nullam habet obligationem; si potest et non facit, peccat.» (Repport., II Sent., dist. 34, q. unica.) «Aliquis actus est moralis, ergo, per hoc quod est a ratione et voluntate ordinatus et imperatus.» (S. Thomas, quæst. *de Malo*, q. VII, a. 7.)

Firmiter igitur teneamus, quod moralitas est «actus procedens a deliberata voluntate cum subjectione ad regulas morum, quæ sunt lex æterna et recta ratio.» (Sexten.)

Causæ quæ essentialiter gignunt bonitatem vel malitiam actus, seu principia moralitatis actus humani tres assignantur: *objectus*, scilicet, *finis* et *circumstantiæ*. De his fusius agitur in quovis compendio theologiæ moralis normalis.

IV. De conditionibus actus moralis. Hæ communiter assignantur: sufficiens cognitio legis, conscientia actus, voluntas libera et libera executio. Tamen liceat nobis innuere, quod, præfatæ conditiones sufficiunt quidem in quæstionibus et casibus in quibus agitur de morali normali, minime vero adimplent exigentias quæstionum quæ referuntur ad casus psychopathicos et psychoneuroticos; horum natura expostulat a subjecto inquirere, quando infirmus gaudet aliqua luciditate mentali et quot gradus comprehensionis vel conscientiæ habeat.

Potissimus scopus theologiæ moralis pathologicæ situs est in determinanda responsabilitate casuum seu phænomenorum in quibus respicitur seu agnoscitur causalitas mechanica, utpote processa e natura morbida. Læsio gravis in systemate cerebrospinali sita, intoxicatio, infectio, et cætera, summe interdum debilitant instrumenta, quæ animæ inservire debent ad exercitium actuum intellectus et voluntatis sive conscientiæ. Hoc est verum difficileque problema; et hæc est maxima conditio in theologia morali pathologica.

Dato et concesso illo, quod hæc principia frequenter in præsenti opere applicari debent, et juxta illa judicia et solutiones statuere tenemur, opportunum existimamus sequentes præmittere notiones.

Universa tenet philosophia quod actus quivis vel phænomenon morale debet imputari subjecto secundum mensuram participationis in ipso; hoc est, eatenus moraliter imputatur actus, quatenus homo est causa illius; nam ut lex suprema et universalis habetur, quod effectus debet imputari causæ. Nunc autem, in statibus quos hic perpendimus, non raro evenit phænomenon esse vere pathologicum et aperte causis mechanicis organismi obedire. Tali in casu, actus non est nisi reflexus inconsciens naturæ infirmæ seu elementi organici. Hisce in infirmis dantur perpluries actus in quadam et sufficienti luciditate mentali producti; tunc vero, utpote sui juris et suorum actuum domini, prædicti infirmi, penitus vel relative imputatur eis actus; nam ut supra innuimus, actus est moralis per hoc quod est a ratione et voluntate ordinatus et imperatus.

Nihilominus, quin obstent imputabilitas et non imputabilitas supradicta, theologia moralis pathologica, in genere, statuere debet principium *imminutionis seu attenuationis responsabilitatis.*

Re quidem vera, universis neurosis et psychoneurosis adest maxima vel mediocris perturbatio idearum, affectuum vel organismi, præsertim in centris nerveis vel aliis visceribus. Status mentalis in casibus veræ psychasteniæ est summe deficiens, imo invenitur penes infirmitatem omnino vel fere omnino responsabilitatem moralem tollentem. Sunt proprie *degenerati cerebrales.*

Improbus labor nobis esset determinare cunctos gradus degenerationis et attenuationis, qui in singulis casibus vel phænomenis pathologicis accurate in clinica morali confessarius distinguere debet. (Confer tamen, Lib. IV, cap. XV).

Ea quæ præcedunt respiciunt actum *directe* volitum. sed, cum dentur effectus voluntarii tantum *in causa* seu *indirecte,* de his breviter agendum opportunum censemus.

Nomine voluntarii in causa intelligitur quod neque ut finis neque ut medium intenditur, sed prævidetur ex actu directe volito secuturum, proindeque homini aliquo modo imputatur; ita, qui usque ad ebrietatem potum alcoolicum sumit, responsabilis efficitur; de peccatis aliisque crimino-

sis actibus in ebrietate commissis, dum sequentibus principiis a moralistis traditis subjiciantur:

I^{um} Principium: Effectus malus, in causa tantum volitus, est moraliter imputabilis quando hæc tria simul concurrunt, videlicet: 1° agens effectum prævidit saltem in confuso; 2° potuit non ponere causam; 3° effectum impedire debuit.

II^{um} Principium: Licet ponere actum in se bonum aut indifferentem, ex quo æque immediate sequitur duplex effectus, alter bonus et alter malus, dummodo adsit ratio proporcionate gravis et finis agentis sit honestus. De hac materia fussius agitur in quovis compendio Theologiae Moralis; unde ipsum consulat confessarius.

Alienam minime puto a communi doctorum sententia sequentem enunciationem:

I. Agitur hic de imputatione morali in foro interno seu conscientiæ, penes quem theologi judicant speciem et gradus malitiæ, qui in transgressionibus legis reperiuntur. Ut vera detur responsabilitas necesse est quod subjectus gaudeat conscientia et libera voluntate.

II. Gradus meriti vel responsabilitatis servat proportionem cum cognitione, libera voluntate et libera executione subjecti, præterquam ad eum attinet ratione qualitatis vel speciei transgressionis. Imputatio sibi vult effectum, qui eatenus tribuitur causæ, quatenus hæc influit in ejus productione: nunc autem, principia seu elementa humana quæ concursum præbent in actus productione, sunt ea ipsa quæ hominem distinguunt in esse rationali; ergo major vel minor participatio et influxus elementorum rationalium (cognitio, voluntas, libertas) sunt qui metiuntur atque æstimant quantitatem meriti vel responsabilitatis.

III. Opportunum et scientificum nobis videtur præmonere de principio quod facile complectitur cuncta facta et universas inductiones possibiles intra status psychoneuroticos, videlicet: Status mentalis, moralis et physiologicus hujusmodi infirmorum habitualiter vel saltem plerumque sunt defectivi sive quoad characteres anatomicos, constitutionales, sive quoad functiones organicas et psychicas, quod fere semper minuit responsabilitatem.

De limitibus psychopathologiæ. Scientia experimentalis nec obsignavit neque in posterum muniet positionem illorum mentalistarum, qui inficiari conantur omnem responsabilitatem moralem actuum a subjectis semidementibus seu graviter læsis productorum, quin tamen hi sint omnino alienati.

In praxi, permulti adnumerantur casus resolutione difficiles. Ut liquet ex natura quæstionum, haud agitur in præsenti de invenienda solutione mathematica, sed morali; idcirco neque est necessarium scientifice quærere et determinare gradus intensitatis, quos comprehendit delictum vel transgressio. Sufficit judicium quadam soliditate innitum.

In quodam recenti studio a nobis confecto sequentes statuuntur regulæ pro casibus pathologicis: «Cuncta phænomena, quamvis complexa reduci possunt ad hos ordines: 1.º, ad actus elicitos in statu veræ luciditatis mentalis ab infirmo qui perfunctorie accessus neuroticos vel psychopaticos patitur; 2.º, ad actus penitus sub actione seu influxu exclusivo agentis morbidi exercitos; 3.º, ad actus sub influxu exaltationis vel exaltationis organicæ et psychicæ notabiliter auctæ exercitos, propter frequentes accessus morbidos; 4.º, dantur actus dubii, qui reduci nequeunt modo absoluto ad liberam voluntatem, nec ad productionem mechanicam nervei systematis. Primo in casu adest absoluta responsabilitas moralis; secundo abest omnis moralis imputabilitas; tertio adest imperfecta responsabibitas; quarto, demum, responsabilitas apparet dubia quam resolvere vel determinare nequimus nisi in præsentia circumstantiarum quæ comitantur subjectum.

Alibi animadvertimus, quod in hoc quæstionum genere, duplex periculum seu extremum vitari æque debet, nempe, positio eorum qui totam vim inhibitricem voluntati inficiantur, dum subjectus permanet in statibus intermediis, ac proinde juxta illos alia non daretur solutio quam formula pathologica; neque inficiari licet, veram amplectentes psychologiam, existentiam statuum intermediorum, in quibus, ob specialem statum mentalem perdifficile efficitur exercitium facultatum, quæ in elaboratione actus humani interveniunt.

Qui conantur ad extremum redigere elementum pathologicum naturæ, excessivam atque irrationabilem præstantiam tribuunt omni quod in ordine morali agnoscimus sub nomine inclinationum adquisitarum vel congenitarum, passionum, medii circumdantis, complexionis, educationis, infirmitatis, impulsionum et eorum omnium quæ aliquantulum habent influxum in elaborationem actus humani: qui nimis protrahere conantur elementum pathologicum naturæ; atque ita alieni evadunt a vero sensu morali ejusdem.

Dantur reapse perturbationes passionales, personæ a typo normali deflexæ, spiritus obsessi, qui non ideo responsabilitatem actuum amittunt. Ut hoc accidat, id est, ut homo ab imputatione privetur requiritur ulterius, quod infirmitas nervosa majorem efferat gravitatem. Signa et diagnosticum quæ afferuntur in hisce phænomenis seu statibus, longissime absunt ut extremam moralis solutionis formulam justificent.

Quin renuntiemus postea fusius agere de statibus passionalibus pathologicis, volumus has notiones ad passionem spectantes præmittere.

In scientia psychopathologica opportet distinguere et determinare limites elementi seu ordinis physiologici et ordinis pathologici passionum. Hæc distinctio comprehendit cunctas formas normales et formas exaggeratas propensionum, impulsionum, etc. Intra cumulum gradum medium complectentem, seu intra limites status passionalis physiologici et status pathologici adest indefinita varietas differenciarum individualium. Nullatenus est possibile reducere sæpe casus nec ad responsabilitatem absolutam neque ad irresponsabilitatem; necesse enim est agnoscere in eis elementum physiologicum vel pathologicum ibi prædominans.

Studium insuper passionum sensu normali seu physiologico, nobis verum ipsorum conceptum præbet.

In philosophia morali nomine passionis intelligitur: «Motus appetitivæ virtutis sensibilis, qui est ex imaginatione boni et mali» (S. Thomas); seu intensa commotio sensibilis producta in homine physico et psychico ab imaginatione. Passiones veluti maximæ auxiliares vitæ spiritus habentur.

Passiones moveri et dirigi queunt a ratione et tunc ut maxima vis affertur in utilitatem et executionem ordinum voluntatis.

Individualitas, circumstantiæ necnon causæ passionum constituunt seriem quamdam factorum, quæ plane influunt in subjectivam culpabilitatem. Temperamentum, character atque educatio revera exercent notabilem influxum in evolutionem et progressum passionum; integra tamen manet resistentia psychica, si paucos casus pathologicos excipias in quibus evidenter de exaltatione emotiva vel appetitiva agitur.

Actus passionales, erga quos indulgentiam moralistarum commendamus, illi sunt qui committuntur sub aliqua impressione vel emotione summe intensa; præsertim in phænomenis affectivis. Plurimum imminuunt responsabilitatem perturbationes imaginativæ, ideativæ et affectivæ, prouti sunt imagines et ideæ fixæ, obsessiones, scrupula, maniæ, melancholia, amor cui immaniter adversatur, colluctatio pro existentia, et alia hujusmodi.

Dantur abs dubio status psychici a motu animæ extraordinario producti, qui ex statu normali evehuntur ad statum pathologicum. Haud esset laboriosum demonstrare passionem stricte pathologicam, alienationem transitoriam secum ferre, ut universis theologis compertum est.

Quum nos in præsenti opere mechanismum physiologicum cerebri minime patefacere intendamus ea omnia omittemus que præ se ferunt relationem seu nexum inter passiones et cellulas cerebrales existentem.

Volumus principia recordari quæ in utrisque statibus physiologico et pathologico statuit theologia moralis circa passiones: I. Passio antecedens, id est, quæ præcedit deliberationem, si tanta sit, ut totaliter auferat usum rationis, ut accidit iis, qui propter iram vel excitationem et motum eroticum insaniunt, tollit voluntarium, ac proinde totaliter excusat a peccato; desunt enim voluntas atque libertas. II. Imminutio seu attenuatio responsabilitatis moralis sequitur diminutionem voluntarii et libertatis. III. Passio procurata et voluntarie alita, auget malitiam trans-

gressionis, ideoque imputabilitatem actus. IV. Conatus et vehementia passionis pendet pluries a prædispositione organica et psychica necnon a temperamento subjecti. Patet enim quod aliqui subjecti sunt pronissimi ad excitationem passionalem, dum quidam, adhuc in præsentia magnæ provocationis fere insensibiles permanent.

CAPUT III

DE PSYCHOSI INFECTIONUM ET INTOXICATIONUM IN GENERE

Notum est apud omnes infectiones et intoxicationes producere posse interdum graves psychopatias. Regis ad duplicem formam omnes infectiones reducit: ad formam *acutam* et ad formam *chronicam*. Primæ proprie nominantur infectiosæ; secundæ sunt postinfectiosæ. Oportet ut theologus et minister pænitentiæ possideat seu efformet conceptum clinicum harum infirmitatum, quæ psychopatiæ toxi-infectiosæ a psychiatris vocantur.

In pueris et cæteris hominibus prædispositis infectiones possunt verum accessum alienationis producere. Infectiones in specie quæ ansam præbent inordinationibus mentalibus, sunt juxta Weigandt, febris tifoidea, influenza, erysipelas, papula, pneumonia, reumatismus articularis acutus, septicemia, mallaria, cholera et pestis. Quædam infectiones distinguuntur causa majoris intensitatis et extensionis quæ in mentali inordinatione et confusione morali reperitur.

Inter intoxicationes quæ majorem numerum infirmitatum gignunt adnumeranda est, ait Raymond, uremia, cujus potissima expressio clinica est encephalopatia, vulgo denominata paralisys.

Agentes pathogeni percipiuntur in cortice cerebrali ob elevationem temperaturæ, ob alterationem nutritionis et propter cardiacæ activitatis augmentum. In pueris sufficit quævis perturbatio organica ad delirium vel coma producendum.

Febris tifoidea quam sæpe comitatur *delirium initiale* secum fert confusionem conscientiæ, obscuritatem mentalem, inordinationem sensitivam, fugam idearum, tristitiam

et magnam ad suicidium pronitatem. Utut febris perveniat ad gradum acutiorem, deliria et confusio moralis hallucinatoria apparent. Vocatur quoque *dotinenteritis*, quæ sæpe præ se fert excitationem maniacam, delirium acutum et gravem debilitationem intellectualem.

In gripe et influenza reperiuntur prouti in psychosi postinfectiosa quædam perturbationes psychicæ, quæ directe attingunt conscientiam, nam infirmi patiuntur stupiditatem et alia similia. Omnes conveniunt in eo quod toxiinfectio grippalis exercet actionem neurasthenizantem absumentem.

Pneumonia duplex admittit momentum: tempus scilicet quo culmen attingit et tempus convalecentiæ. Primum incipit multoties cum accessibus delirii hallucinatorii et amissione intellectus. Secundo momento perplures eveniunt hallucinationes ob summam debilitatem cerebralem et nervosam excitationem.

Cæteræ infectiones supra numeratæ iisdem subjiciuntur symptomatibus ac prædictæ. Quod clinice distinguit psychoses infectiosas acutas est *confussio mentalis*; specialis insuper consequentia intoxicationis organismi.

Hoc statu mentali infirmi supposito, nobis licitum est responsabilitatem moralem deducere, postquam impossibilitatem et fere destructionem encephalicam perspeximus. Homo inutilis redditur et totus manet sub actione pathogena agentium quibus datum est influxum seu commercium sensitivæ vitæ et vitæ intellectualis impossibilitare.

CAPUT IV

DE PSYCHOPATIA ALCOOLISMI

Status quæstionis. Nomine *alcoolismi* a Magno Huss creato, designatur cumulus phænomenorum quæ proveniunt ex intoxicatione centrorum nerveorum in encephalo bibacum ob actionem excessivam potus, vulgo denominati *alcool.*

Comprehendimus in hac quæstione intoxicationem *alcoolicam, æthilicam* et *absinthicam.* Hæ omnes originem præbent pluribus inordinationibus mentis, confusionibus conscientiæ et perturbationibus nervorum. Unde interest theologo in cognitionem venire symptomatum et therapeuticæ hujusmodi infirmitatum.

Alcoolismus potest esse vel *acutus* vel *chronicus:* primus locum habet cum potus alcoolici ita adbibuntur, ut maximam inferant perturbationem in cerebrum; secundus datur, quando abusus alcoolicus est adeo habitualis, ut excerebrationes sint constantes. Vis toxica potuum pendet ex specie essentiarum, ex mora in destilatione, ex hora demum in qua sumuntur.

Symptomata. Roubinovitch animadvertit quod intoxicatio alcoolica præsupponit minimam vel saltem paucam resistentiam; ideo præ oculis habenda est prædispositio individualis; nam dum uni magna quantitas nihil nocet, alteri tamen exigua dosis toxici magnum detrimentum infert. Causa sæpe est debilitas congenita vel adquisita nervei systematis.

«Intoxicatio alcoolica acuta—inquit Krœpelin,—efficit ut appareant alterationes chimicæ in cortice cerebrali facile perceptibiles. Symptomata nobis innotescunt in difficultate intelligendi, in debilitate et inordinatione processus

mentalis, in exaggerata excitabilitate psychomotrici, in amissione energiæ et in jactura adlata directioni motuum. Compertum est quoque detrimentum quod alcoolico provenit ob potum organismo insertum in aptitudinem mentalem et in varias encephali activitates influxum habere.»

In alcoolismo acuto distinguuntur quædam accidentia, quæ gradatim transeunt per levem sensationem caloris et per agitationem aliquam nerveam; subjectus garrulus redditur, colericus, quandoque magni timoris affectus, et motus perspicue quamdam facilitatem adquirunt. Cito ideæ confunduntur, infirmus vacillat in æquilibrio corporali et omnia moventur in circuitu ejus. Demum cadit lassus seu vino fractus cum omnibus ejus complicationibus sive in cerebro, sive in aliis organismi visceribus.

Alcoolismus *chronicus* non semper sequitur accidentes acutos; læsiones ejus persæpe pendent ex prædispositione subjecti. Speciales perturbationes spectant ad organa digestiva et ad nerveum systema. Hoc clarius patefaciam in sequenti paragrapho.

De statu mentali alcoolici. Serieux et Mathieu potum alcoolicum *venenum intelligentiæ* existimarunt. Et re quidem vera: «character enim fundamentalis inordinationum mentalium, quæ oriuntur ex abusu non interrupto potuum alcoolicorum, situs est in debilitate psychica et progressiva degradatione functionum intellectualium necnon ethicarum ad elevatiorem ordinem pertinentium». (Krafft-Ebing.)

Abusus chronicus hujusce veneni, docet Oppenheim, influxum habet præeminentem in centra nervea et in nervos periphericos. Cerebri functiones summan patiuntur perturbationem ob nominatum toxicum. Irritabilitas, affectuum vacuitas, abulia, diminutio intelligentiæ, amnesia, confusio sensibilitatis sunt phenomena psychica frequentiora in subjecto alcoolico. Sæpenumero supervenit adbibaci absoluta dementia quæ interdum pervenit usque ad imperitiam seu plenam alienationem.

Si intensitatem inordinationis mentalis perspicimus, distinguere debemus psychoses in *acutas*, *subacutas* et *hyper-*

acutas. Accesus subacutus persæpe leviter transit supra chronicam intoxicationem. Tunc subjectus patitur quamdam irritabilitatem, anxietatem, impressionabilitatem, statimque incipit delirium.

Hocce delirium perspicue distinguitur per somnii alterationem: somnia alcoolicorum sese offerunt summe agitata et frequenter ad professionalia vel dramatica referuntur. Non infrequenter accidit quod ipsa perdurant in statu vigiliæ, seu protrahuntur usque ad plenam diei claritatem; quo in statu transeunt per imaginationem hallucinatam quævis imaginum genera, latrones, homicidæ, demonia et quidquid phantasticum concipere potest cerebrum infirmum. Status, demum, psychopatiæ alcoolicæ, ait Lasegne, nihil aliud est quam somnium non interruptum.

Ulteriora phænomena pathologica quæ hic addere licet sunt: automatismus somnambulicus, autoacusatio, impulsio ad suicidium, homicidium atque incendium.

Delirium acutum plerumque supervenit eis in quibus invenitur prædispositio aliqua degenerativa. Ejus symptomata physica et psychica sunt eadem ac supra dicta, sed graviora, ut omnium fert opinio, nempe, gravior perturbatio idearum, confusio conscientiæ, indeterminatio voluntatis et conturbatio sensibilitatis sive externæ sive internæ. Quamdiu perdurat hic status accidere possunt quævis phænomena pathologica etiam ea quæ locum habent intra *delirium tremens*.

Delirium hyperacutum seu acutissimum, ratione suæ gravitatis vocatur a Magnan *delirium tremens febrile*.

Doctores Triboulet, Mathieu et Mignot, in tractatu nuper edito *De l'Alcoolisme* recensent species infirmitatum mentalium statui alcoolico annexarum, inter quas summam tribuunt gravitatem delirio toxialcoolico, psychosi polineuriticæ, epilepsiæ alcoolicæ, hysteriæ, neurastheniæ et dementiæ alcoolicæ, meningiti chronicæ, paralysi generali et aliis ejusdem generis.

Si vellem aliquantulum magis rem clinice comprehendere, hæc adderem: *substractum* anatomicum quod in superioribus centris nervosis reperitur ob has species degenerationis, accusat processum chronicum inflammationis in

meningibus et alterationes atrophicas in distinctis cerebri locis. Alcool directe cerebrum venenat, substantiam chemicam cellularum degenerat, textiles modificat, circulationem perturbat et impossibilem reddit nutritionem cerebralem.

Primum symptoma hujusce psychicæ degenerationis apparet in diminutione et amissione sensus moralis. Nihil ipsorum interest quæstio attingens honorem, moralem, decorem, etc. Sive accipiat nomen dementiæ moralis, sive cognominetur degeneratio vel depravatio, reapse ipsis deest sensus moralis.

Eamdem inordinationem invenimus, servata proportione, in facultatibus affectivis, quæ summam irritabilitatem objiciunt simul ac non justificatam indignationem, qua persistente, verbis et operibus infirmus fines ac terminos a ratione constitutos egreditur. A clinicis vocatur *ferocitas ebriosa*. Aliquando in decursu hujusce evolutionis magnam invenimus depressionem tum in ordine mentali tum in physico.

Notum est hujusmodi perturbationes voluntatem afficere, necnon memoriam et sensibilitatem. Voluntas extrema debilitate laborat et difficiliter ad praxim determinatur; memoria nequit cumulum imaginum et thesaurum idearum retinere, imo plerumque ipsis omnino caret propter ineptitudinem intellectualem, miseram perceptionem, quas necessario sequitur vacuitas idearum. Eadem ratione sensibilitas afficitur hallucinationibus, cephalalgiis et erroribus ex deficiente perceptione proventis, quæ omnia impossibilem reddunt ordinem et functiones normales cognitionis, affectus et appetitus sensitivi.

Infirmus, denique, secum fert summam psychicam debilitatem, abuliam, affectuum obtusionem, et frequenter magnam ad voluptuositates sexuales inclinationem, quibus non raro abutitur.

Responsabilitas moralis alcoolici. «Alcoolismus chronicus non est passio, sed infirmitas cerebri—inquit Krafft-Ebing,—quæ distinguitur per signa clinica et læsiones anatomicas.» Capacitas moralis imputationis adbibacis interdum apparet dubia, et veluti impossibile autumo regulam generalem statuere ad cunctos casus dijudicandos. Mensura res-



Fig. 2

Cerebrum sanum



Fig. 3

Cerebrum alcoolicum



Fig. 4

Cor sanum

Fig. 5

Cor alcoolicum

ponsabilitatis pendet ex specie et gradibus potus alcoolici, necnon ex quantitate et prædispositione subjecti, quod necessario, efficit ut confessarius singulis casibus particularibus attente studeat et ex gradu prævisionis ac conatu voluntatis in causam ferentis. Propensio gravis ad potum alcoolicum obligat confessarium ad indulgentiam erga victimarum culpabilitatem; si vero ejusdem abusus veram infirmitatem cerebralem produxit vel determinavit, tunc velut statum graviter pathologicum attingere debemus.

Præterquam quod symptomata superius descripta, sensus nobis aperient ad gradus infirmitatis et læsiones cerebri adipiscendos; et juxta moralem mensuram responsabilitatem determinare, vellem, si limites hujus capitis id permitterent, aliquas observationes ad medicinam legalem spectantes addere. Notum facimus nihilominus characterem fundamentalem perturbationum mentalium, quem universi clinici agnoscunt in ebrietatibus alcoolicis esse profundam debilitationem psychicam et progressivam degradationem functionum intellectualium et ethicarum elevatioris ordinis.

Therapeutica. Interest confessariorum ut modos procedendi possideant ad curationem seu profilaxim alcoolicorum. In primis absolutam abstinentiam adhibeant, ut fert communis opinio, deinde in pharmacia inveniuntur composita ex bromo atque stricnina, minima in quantitate (1 centig. per 10 centig. aquæ).

Casus levis intoxicationis acutæ tractatur per eliminationem toxici, per reparationem nervosam ope somnii et per reintegrationem nutritivam. Formæ graves intoxicationis per lotionem stomachi agere debemus. In alcoolismo chronico commendatur serum stricnizatum.

Therapeutica moralis, quæ magnum exercet influxum in systema nerveum infirmi, debet applicari, ideas et motiva suggerendo et alia media adhibendo. Reeducatio psychica et moralis a confessario instituta, summe prodest subjecto infirmo ob nimium potum alcoolicum. Actio psychica quemadmodum actio physica mutue se influunt et coadjuvant in opere reconstitutionis organismi.

CAPUT V

DE INFECTIONE SYPHILITICA IN CENTRIS NERVEIS JACENTE

Post non paucas vicisitudes, tandem anatomia pathologica et clinica mentalis assecutæ sunt, forma absoluta, determinare quædam signa actionem *treponemæ pallidi* in centris nerveis revelantia; idcirco, hodierna die, perfacile determinatur responsabilitas moralis in statibus pathologicis.

Ut ordinate procedam, documenta comprobatiora ab experimentatione scientifica statuta adducam juxta hunc ordinem: status *physici*, status *mentalis* et status *moralis* (1).

Status physicus. Syphilis invenitur in cerebro præsertim hac forma: 1.º, gignens læsiones arteriales; 2.º, producens gummata et efficiens textiles sclerogomosos. Quævis læsio revelatur per signa diversa, utpote ad diversas species clinicas respondentia.

In prima forma arteritis syphiliticæ, arteriæ læsæ potissime inveniuntur in bassi. Secunda forma anatomica syphilis cerebralis determinatur per gummata multiplicia, quæ transfundunt meninges vel determinata gummata encephali. Nec formam, nec dimensionem habent determinatam. Prope gummata clare perspicitur transfusio quædam gummosa, quæ ingreditur chiasma, nervum opticum, oculo-

(1) «Anno 1905. T. Schaudinn, studens cum collega E. Hoffmann læsionibus syphiliticis et productis ejus secretionis, potuit patefacere exigui spirocheti existentiam cui nomen dedit, seu quem cognominavit *spirochete pallida* ratione ejus refringentiæ summæ debilis. Hic microorganismus, hodierno die, velut nomen ejus specificum tenet *treponema pallidum*, et habetur, abs dubio, veluti virus syphiliticum.» (BESANÇON, *Elementos de microbiología clínica*, pag. 434; Madrid, 1912).

motores, trigeminum, acusticum et patheticum, teste O. Crouzon (1).

Eodem modo suum sensum adaperiunt cæteri anatomistæ et idem sentiunt quoad substantiale quæstionis, ut consuli potest apud Achard et Læper (2), Jakob (3) atque Cajal (4). Juxta hunc doctorem, neuritis syphilitica et neuritis tuberculosa sunt raræ; et adhuc producuntur per propagationem perturbationum similis naturæ ac meninges.

Eamdem æque admittunt doctrinam ut comprobare aperte potuimus, Cornil et Ranvier (5), Bechterew (6) et Henr. Lamy (7).

Fere omnes auctores sustinent, gummata posse quamdam regionem encephali occupare; tamen frequentius locum occupant in lobulis frontoparietalibus, in regione pedunculare et in bassi. «Notum est—addit Oppenheim (8),—quod cortices superficiales cerebri directe communicant cum meningum affectionibus; et ita tumores gummosi penetrare queunt ab his postremis ad interiorem cerebralis substantiæ. Meminit quoque meningem encephalitis syphiliticæ penitus emoliri valere lobulum cerebrale vel hemispherium completum.

Symptomata. Nulla pæne perturbatio cerebralis datur, quam ipsam haud reperiamus in hujusmodi infirmitate.

Auctores admittunt quoddam tempus præparatorium, in quo infirmitas paulatim producit perturbationes cerebrales. In decursu evolutionis intensam cephaleam vel cephalalgiam patitur; dolor physicus magna violentia sese offert.

Hæc forma acutior cephaleæ ad phasim ulteriorem evolutionis syphiliticæ cerebralis pertinet, in qua typus clinicus notabiliter multiplicatur.

(1) *Enciclopedia de ciencias médicas*, t. X, pag. 356.
(2) *Précis d'Anathomie Pathologique*, Paris, 1908; pag. 497.
(3) *Atlas-Manuel du système nerveux*, Paris, 1900; pag. 152.
(4) *Compendio de Anatomía patológica*, Madrid.
(5) *Manuel d'Histologie Pathologique*, Paris, 1907; t. III, pag. 50.
(6) *Troubles psychiques dans les maladies nerveuses organiques.*
(7) *La sífilis de los centros nerviosos*, Madrid.
(8) *Tratado de las enfermedades nerviosas*, Barcelona.

W. R. Dawson anno 1901 psychoses syphiliticas ordinavit juxta hanc tabulam clinicam: I. Psychosim syphiliticam precocem, quæ complectitur primum et secundum momentum infirmitatis, et manifestatur per psychosim toxicam acutam. II. Psychosim syphiliticam seram, seu tertii momenti (syphilidem terciariam). III. Psychosim metasyphiliticam, quæ reapse confunditur cum paralysi generali dementium.

Nobis interest determinare signa quæ accidunt in tempore secundario et tempore tertiario, nam in utrisque ostenditur psychosis forma torporis, obtusionis mentalis, perturbationis psychicæ, anxietatis melancholicæ, delirii hallucinatorii, onirici, etc., etc. Hujusmodi symptomata sequuntur gravitatem læsionum; id est, majora fiunt quum accrescunt processus pathologici læsionum.

Compertum est apud omnes, symptomata differre juxta singulas formas anatomicas: artiritæ, syphiliticam vel gumma. Tamen utrisque conveniunt hæc signa prodromica, quæ verum habent valorem diagnosticum, videlicet; cephalea intensa, obnubilationes, summa depressio et defectus in statu cerebrali, perturbatio memoriæ, imaginum et idearum, etc. Ita comprobatur praeter alios ab E. Emery (1), Marchand (2), Weygandt (3), Jakob (4) et aliis.

Status mentalis. Firmiter tenentibus omne quod præcedit quoad symptomata syphili cerebrali attributa, perfacile licebit characteres mentales infirmi determinare ac distinguere.

Sicuti nos accepimus, distingui opus est periodus *præparatoria* et periodus *acuta*. In prima periodo paulatim in deterius commutantur intelligentia, character et pene tota personæ psychologia. Unde activitas cerebralis minuitur, characteres morbosi emotionum valde accrescunt, attentio fit impossibilis et abjectio animi infirmum incessit.

Dr. Vely in ephemeride *Archives de Neurologie* docet, quod infectio syphilitica considerari debet semper gravis in

(1) *Tratamiento de la sífilis*, traduc., Madrid.
(2) *Manuel de Neurologie*, Paris.
(3) *Atlas-Manuel de Psychiatrie*, Paris.
(4) *Atlas-Manuel du système nerveux*, Paris. — Vide *Revue de Psychiatrie*, mai, 1912; pag. 201.

neuropatis; hi enim magnam habent prædispositionem ad nervosas perturbationes; ita ut eorum systema cerebro-spineale constituat quemdam locum minoris resistentiæ, quem oblivioni mandare non licet in decursu evolutivo infectionum et intoxicationum. Venenum microbianum seu virus syphiliticum actionem destructivam in cellulam nerveam exercet.

Periodus acuta penitus invenitur intra terminos *dementiæ* syphiliticæ, quam comitatur, sæpe epilepsia syphilitica. Vessania differ a dementia, nam illa, teste Lamy, secum fert notabilem facultatum intellectualium diminutionem, non autem absolutam privationem, ut fert dementia.

Ex prælibatis igitur patet confusiones psychicas in hac infirmitate consociari perturbationibus somaticis, per quas testatur præsentia læsionum organicarum, ut clarius liquet ex torpore intellectuali quem comitatur. Hoc psychologiæ experimentalis pathologicæ principium, notionem et rationem reddit de nomine plerumque adhibito in clinica mentali, nempe *dementia syphilitica*; quæ nihil aliud est, quam læsio in foco cerebri vel medullæ, acute evoluta et per celerem descensum intellectualem traducta.

Status moralis. Habetur ut logica consequentia, utpote determinatus a natura symptomatum hactenus expositorum. Inordinationes seu perturbationes sensibilitatis internæ, per inde ac intelligentiæ, conscientiæ et voluntatis præbent nobis mensuram et proportionem graduum atque intensitatis, quibus metiri possimus responsabilitatem moralem in statibus psychopathicis. Percurre, lector amabilis, signa superius descripta et facillimam solutionem invenies in hoc rerum discrimine. Undique apparet claritas signorum et principiorum concordantia, cum agatur de periodo preparatoria, quam frequenter invenimus in tribunali pœnitentiæ.

Animadvertat carissimus lector nos in hac re, idem atque in infectionibus et intoxicationibus, quas infirmus voluntarie et scientes contrahit, sustinere eamdem opinionem atque doctrinam quæ exposuimus quum de «voluntario in causa» egimus.

Ut, tamen, confessori auxilio veniamus ecce symptomata

quæ graviorem vel minorem responsabilitatem in ægroto denuntiant. In periodo præparatorio infirmitatis, quum elaborantur perturbationes anatomicæ, infirmus dolorem gravativum et profundum sentit in encephalo, qui dicitur encephalalgia. Dolor, quidem, intensior aliquando fit in quibusdam regionibus, et tunc activitas cerebri minuitur necnon exercitia intellectus. Characterem irascibilem in ægroto provocat et hoc modo alterationes animi valde levat. In hoc statu, quum symptomata dementiæ syphiliticæ vel paralysis generalis non dantur, minime tollitur ægroto responsabilitas in cæteris rebus.

Aggressiones meningiticæ quamquam sæpe dantur cum maxima exaltatione seu depressione subjecti, non tollunt tamen conscientiam neque responsabilitatem. Si ægrotus non pervenit ad illam proximam periodum dementiæ syphiliticæ que dicitur vesania responsabilis est et culpabilis in suis inordinationibus. Quandoque dementia gravatur delirio et perturbationibus paralyticis. Ægrotus in periodo crisis vesanicæ omnino caret responsabilitate; in periodo vero anteriori habet attenuationem propter imbecillilatem psychismi superioris. In aliis vero periodis intermissis non est causa sufficiens ad levandam culpabilitatem.

Principia therapeutica. Principia generalia therapeuticæ antisyphiliticæ sunt: 1.°, censendum penitus necessarium *sero-diagnosticum* ad judicia efformanda in omnibus casibus in quibus nullum detegatur symptoma; 2.°, quivis syphiliticus debet potenter medicinam adhibere et sibi applicare quam citius post infectionem; 3.°, procuranda extirpatio cum fieri potest alacriter et absque magna deformatione materiæ; 4.°, confessarius curet ut contagione labefactus adeat medicum et subeat ejus ordinatione.

CAPUT VI

DE PSYCHOPATIA CHRETINISMI

Hanc aggredimur quæstionem, quae moralistarum maxime refert. Chretinismus quamvis præsertimin in locis umbrosis et montium angustiis invalescit, non minores tamen vires in agrorum planitie ac in civitatibus habet. Chretinismus, hoc sensu, est potissimum problema mentale simul ac morale a philosopho et theologo pariter solvendum.

Natura. Chretinismus habetur veluti consequentia insufficientiæ tiroideæ. Hoc corpus, paralysi seu atrophia affectum obsistit evolutioni physicæ individui. Latent adhuc veræ causæ alterationum quas patitur corpus tiroideum, inquit E. Feindel (1). Probe cognoscimus hoc morbo corripi oppida incolis frequentata in locis montanis, præruptis præcipue in altis vallibus.

Numeratæ sunt veluti causæ, aer, aqua, status hygrometricus, defectus hygienicus. Alii putant attribui debere tumefactioni glandulæ tyroides, quæ infirmitatem propriam constituit in quibusdam montanis regionibus. Dr. Lubaroch, in quodam recenti studio oppugnat conceptionem vel theoriam tyroideam chretinismi (2).

Anatomia pathologica. Glandula tyroides est corpus mole grande situm in anteriori parte viæ laringotraquealis, cui intime adhæret et quam comitatur in omnibus suis motibus (3). Historia physiologica functionis tyroideæ est recens:

(1) *Enciclopedia de ciencias médicas*, t. III, pag. 474.
(2) *Anuario de ciencias médicas*, año 1912, t. I.
(3) Vide Testut, *Anatomia humana* (*Tratado de*), t. III, pag. 1018, et Grasset, *Tratado de Fisiopatología clínica*, t. I, pag. 596.

status chretinoideus, anno 1877, vocabatur *mixedema* (Ord); deinde *cachexia paquidermica* (Charcot). Physiologice distinguitur per ædemosam transfusionem textilis cellularis subcutanei, per atrophiam corporis tyroidei et per confusiones psychomotrices sicuti sunt quædam imbecillitas, amnesia, ignava ideatio, desidia et alia.

Sensu normali acceptum corpus tyroideum maximi faciendum est, nam glandula quamdam segregat substantiam biologice indispensabilem, quæ reabsorbetur per vias vasculares et limphaticas. Secretio prefata vim e medio tollit quibusdam elementis toxicis organismi, ut, ex. gr. substantiis toxicis in intestino jacentibus et aliis, quæ ad systema nerveum centrale spectant. Succus tyroideus actionem vasodilatatoriam et hypotensivam exercet; substantias toxicas depressivas destruit, nutritioni favet, cor excitat et evolutivum augmentum promovet. Ejus extirpatio producit amenorream et conceptionem difficultat.

Ablatio corporis tyroidei quandoque lædet hominem in ipso gignendo psychicam desidiam, debilitatem mentalem atque retrocessum intellectualem et moralem.

Symptomata. Signa insufficientiæ tyroideæ, juxta Grasset, sunt: ædemata transitoria, anorexia, cephalea, torpor physicus et mentalis necnon senilitas precox cum nonnullis accidentibus nervosismi. Chretinus pertinet, in genere, ad genus insufficientium. A nativitate usque ad annum quartum ætatis suæ nihil in eis notatur quod differat a cæteris pueris; ast abhinc incipit dilatio in accretione, ut invenitur apud Weygandt.

Chretini sunt parum distensi in instictu sexuali, in sensibilitate externa, in procesu physico et in evolutione intellectuali. Typus cognominatus *infantilis* nullam acquirere valet instructionem. Alteri dantur tamen subjecti chretinoides, qui sunt intellectualiter et moraliter perfectibiles usque ad regularem culturam. Idem tenent quoad defectum psychicum Lubarsch et alii.

Inter diversas formas chretinismi adest *mixedema*. Hodie ut compertum omnino habetur, mixedema est verus chre-

tinismus. Tum physice tum mentaliter mixedematosi eadem produnt symptomata ac præfati.

Status mentalis. In primis chretinismus pertinet ad genus idiotiæ. Definitio forsan completior et magis comprehensiva, quæ relate ad chretinismum fertur est ea quam Baillarger formulavit in quodam recenti studio de chretinismo: «Chretinismus est quædam forma particularis deformationis organicæ et intellectualis, alterationi glandulæ tyroides alligata, sub influxu exteriorum conditionum nonnullis regionibus inhærentium, quarum hæc infirmitas est propria (1).

Præfata definitio, quæ miro modo exprimit quidquid supra enucleavimus, præbet nobis accuratam notionem status mentalis in chretinis et mixedematosis. Status intelligentiæ in his subjectis est communiter deficiens, ita ut vix possideant generales ideas. Voluntas probabiliter gaudet sufficienti energia ad recte operandum et difficultates superandas sed magna cum violentia, Paucis dicam: vita mentalis in chretino est valde insufficiens.

Signa hactenus exposita, sive anatomica et physiologica sive clinica, aperte determinant **statum moralem** seu phænomenon responsabilitatis. Præterquam quod in singulis casibus perpendi debet infirmitas subjecti, in genere, vero, licet inficiari sufficientem interventionem mentis seu conscientiæ in efformatione sive productione actuum humanorum. Ideo, nisi agatur de vero imbecilli, responsabilitas est duntaxat attenuata.

Therapeutica. Chretinismus et mixedema tractari queunt cum spe curationis per systema organotherapicum tyroideum. Ministrari debet corpus tyroideum arietis recenter extractum et incoctum. Suadendum interdum medicum adire ad insitum practicandum, quod, chirurgia teste, diversimode exequi potest.

(1) *Le Crétinisme* in *Revue de Psychiatrie et de Psychologie expérimentale*, novemb. et decemb. 1911.

CAPUT VII

DE PSYCHOSI DIABETICA ET DE APPENDICITI

Magnum exstitit certamen et summo opere adhuc conquiritur circa diabeticas psychoses. Earum historia originem ducit a quodam articulo a Monneret et Fleury edito, anno 1839. Primus qui hac de re egit fuit Marchal de Calvi; deinde idem tractaverunt Cl. Bernard, Fere et alii. Hodierno die vero, ut inconfessum habetur, existere quemdam parallelismum inter accidentes diabeticos et mentales perturbationes, quæ plerumque sese influunt in productione phænomenorum. Fatemur tamen non numquam esse rationem tantum cujusdam concursionis, et interdum nullum adesse concursum.

Processus morbidi abdominalium organorum, post mechanicam vel chemicam nervorum excitationem, directe vel indirecte agunt in nerveum systema per productuum anormalium digestionis absortionem.

Status physicus. Diabetes quasdam agnoscit implicationes organicas et psychicas penitus comprobabiles per clinicam observationem.

Quamvis causæ diabetis, proprie ignotæ maneant, sicuti ab universis auctoribus accepimus, tamen, cognoscuntur quidam factores seu agentes ejus apparitioni procul dubio faventes. Inter alias conditiones ætiologicas, adnumerat Strümpell, «emotiones morales, excessum in laboribus spiritus, dolores et mentales agitationes».

Implicationes organicæ quas secum fert diabetes, non difficiles sunt comprehensionis si in mentem revocantur sequentia facta generalia: 1.º Diabeticus amittit omnino vel parte tantum facultatem qua homo sanus gaudet transmutandi

per oxydationem in acidum carbonicum et in aquam saccharum id quod ab ipso insertum est sub forma cibi seu nutrimenti, vel id quod aliter intra organismum elaboratur. 2.° Licet, in genere, nutritio illibata maneat, tamen, ad gradum usque gravitatis ita pervenire potest, quod notabiliter apparatus diggestivus patiatur. Hinc symptomata quæ in organis respirationis perspiciuntur; perturbationes in circulatione, in sensibus, etc., hæc omnia producere potest status diabeticus.

Status psychologicus. Numerus nervearum implicationum quas in diabete invenimus, comprehendunt perturbationes plus minusve graves sensibilitatis subjectivæ, motilitatis et reflexuum, necnon perturbationes trophicas et mentales, quæ evolutionem infirmitatis implicare possunt. Inter alia symptomata nervea adnotare licet neuralgiam trigemini, duplicem neuralgiam ciaticam et trophicas alterationes.

Formæ mentales frequentius in diabeticis observatæ sunt: confusio mentalis, animi abjectio cum ideis melancholicis, et pseudoparalysis generalis.

Doctores Halberstardt et Arsimoles, apud ephemerides *Revue de Psychiatrie* (febr. 1911, pag. 46), in quodam notabili studio circa *psychoses seniles et præseniles dans le diabete*, post non parcas experientias et observationes, hæc merito statuere satagunt: 1.°, dantur plurimi casus in quibus diabetes et psychosis accidentaliter et præter intentionem concurrunt; 2.°, dantur itidem plures casus penitus comprobati psychosis, causam exclusive diabeticam agnoscentes; 3.°, pluribus in psychosis, præter alias causas, clare inspicitur, quod diabetes actionem valde determinatam exercet erga nocuam evolutionem arterioesclerosis et in senectutem (1).

Universis clinicis testibus, **appendicitis** plerumque quamdam spiritualem confusionem producit. Esquirol olim intimam relationem admisserat melancholiam inter et alterationem colonis transversi. Hodie communiter sustinetur, ait

(1) De hac quæstione fusius egimus in ephemeride *Estudios Franciscanos*, in numero extraordinario Emmo. Cardinali Vives et Tutó dicato, mensibus october, november et december, anno 1913.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

A. Marie, formas varias melancholiæ respondere cuidam autointoxicationi gastrointestinali. Ita quoque asserunt doctores Regis et Hesnard. Symptomata mentalis confusionis in prædictis infirmis sunt plus minusve affecta melancholiæ aliarumque emotionum.

Analysis chymica et physiologica experimentatio aperte enuclearunt affectiones gastrointestinales formationi alcaloideum favere, quæ, ut perspicuum est, violentam toxicitatem habent. Plurimi doctores fusius egerunt de hac intima relatione. Præsertim Cornil et Ranvier in classico opere *Manuel d'histologie pathologique* (t. IV, pag. 642), sustinent hanc affectionem appendicitis gravissimas implicationes secum ferre.

Appendicitis acuta, sive sit effectus intoxicationis vel infectionis, sive inflammationis, semper et in omnibus eumdem effectum producit super textiles, humores, viscera et centra trophica; idcirco, strictam correlationem servat cum organicis elementis et centris psychicis, quæ alterutra forma in processibus conscientiæ interveniunt.

Status moralis. Prætermisso mechanismo physiologico et psychologico, quo producuntur symptomata psychica infirmorum, innuam dumtaxat, quod alteratio insequuta in centris trophicis et dynamicis systematis visceralis et nervei, est plerumque causa perturbationum in ordine psychico contenta. Itaque, sæpissime inveniuntur hujusmodi phænomena in exaggerationibus irritabilitatis, tristitiæ, affectuositatis, desperationis, quæ omnia ut causam agnoscunt excessum vel defectum in functionibus energeticis centrorum organismi.

Liquet ex documentis physiologicis et hystologicis, confusionem conscientiæ frequenter insequi intoxicationes gastrointestinales, ut asserunt inter alios Roubinovitch, Seglas et Regis, et hæc phænomena morbida processus psychicos profunde debilitare, cui debilitationi crebro associari dolorem moralem melancholici.

Perfacile formulatur conclusio moralis circa responsabilitatem actuum a diabetico productorum, quando constat eos

sub influxu exclusivo diabetis vel appendicitis productos fuisse.

Tamen, ut particulares et speciales casus notemus, qui solent dari, animadvertat carissimus lector: 1.um Diabetem frecuenter graviorem reddi alterationum visceralium causa et nervosarum, quæ nihil tamen habent commune cum ordine morali seu responsabilitate infirmi diabetici, et hoc fit in edema, corde, renibus, arterioesclerosi, stomacho, genitalibus, etc.). 2.um Quum illam comitantur status delirantes, sive hoc sit per melancoliam, sive per ideas et sugestiones ad suicidium, et super hoc adduntur perturbationes intellectuales obsessiones pathologicæ, disociationes conscientiæ, impulsiones invincibiles, infirmum tunc male laborantem omnino culpabilitate alienum esse, si aliqua actio in tali crisi datur minus ordinata.

Quoad **Therapeuticam generalem** diabeticorum nihil addere intendimus, sed tantum opportunum nobis agere videtur, (quod est intra scopum hujus operis seu studii), de diabete, quatenus secum fert implicationes psychicas, videlicet: de **coma diabetico**, seu de **acetonemicis**.

Coma in acetonemicis habet symptomata præmonitoria; unde statim ac prævideatur proximum periculum comatis applicentur activiora media therapeutica contra præsumptam intoxicationem. Lepine putat quod post drasticam purgationem (bicarbonatum de sosa, etc.) subjici debetur infirmus medicationi alcalinæ et vegetariano regimini. Medicatio alcalina sit magna quantitate (30 vel 40 gram.) unoquoque die.

Cum agatur de comate vere confirmato, difficiliter cum efficacia medicari potest, prout patet ex medicorum experientiis.

In **comate anurico** in quo notabiliter diminuitur urina, commendantur inter alia diuretica, digitalina, cafeina et theobromina.

CAPUT VIII

DE PSYCHOSI GASTRONERVEA

Status quæstionis. Hoc nomine veniunt diversæ varietates, quæ inter perturbationes gastricas, quandoque gastrointestinales inveniuntur et statum pathologicum nervei systematis perspicue ostendunt.

Duplex admittitur præsertim gastroneurosis: stomachalis et extrastomachalis, quatenus stomachus est centrum principale vel secundarium psychosis vel neurosis. Non una tantum datur forma clinica gastroneurosis, sed plures ut statim videbimus.

Animadvertendum est infirmitates stomachi cognosci per inordinationes nervosas ab ipso provocatas. Olim gastroneurosis nomen dispepsiæ acceperat. Anno 1893, Loupault in ejus *thesi* parisiensi studebat dispepsiis per systema nervosum. Leube, primus numeratur qui egit anno 1879 de dispepsia nervosa. Doctores antiqui quamdam perturbationem gastroneurosam vocabant nomine *hypochondriæ*; verbum hodie substitutum a *neurasthenia*.

Influxus læsionis gastricæ quoad productionem gastroneurosis est valde variabilis juxta varietatem principiorum in se influentium. Multiplices sunt causæ systema nerveum modificantes; quærendus est videlicet status individualis subjecti, num præditus sit temperamento pathologico vel normali; num sit mulier sponsata vel homo infirmus; num pertineat ad speciem degeneratam vel gaudeat pleno æquilibrio; hæc omnia, enim, maximopere prædisponunt subjectum ad gastroneuroses acquirendas et ad inæquilibrium augendum; æquamentum redditur impossibile in naturis prædispositis per hæreditatem vel degenerationem.

Symptomata. Gastroneurosis abundat symptomatibus, sive localibus sive extragastricis.

Sit primum symptoma perturbatio sensibilitatis ex intensitate doloris orta. Dolores gastrici habentur ut speciales nervorum modificatores; inde exorditur hyperesthesia stomachalis, similis statui morbido olim descripto a Todd sub terminis *irritable gastrie dispepsia*. Methodus radioscopica permittit inquirere utrum læsio sit intra vel extra stomachum. Facultas motrix patitur quoque tum diminutionem tum nimiam excitationem: diminutio evidenter fit per debilitatem organicorum textilium, seu atoniam, paralysim stomachalem et insufficiens orificium; phænomena excitationis sunt spasmata et contracturæ.

Inter alia, testatur præsentia gastroneurosis per excessum vel defectum secretionis, crises gastricas, aerophagiam eructantem, per merytismum, id est, per quamdam ruminationem in epilepticis et alienatis valde frequentem.

Symptomata nervea extragastrica, quæ affectiones nerveas ostendunt permulta sunt in numero et in varietate. In spheram tantum cerebralem determinant somnolentia, insomnium, astenia, æquilibrii mentalis perturbatio et dementia; quoad centra vasomotora, trophica vel reflexa, et tandem, quoad potissimas functiones organismi reperiuntur phænomena graviter pathologica inordinationibus seu confusionibus psychicis connexa.

Ex dictis liquet **statum mentalem et moralem** in gastropathiis nervosis commonstrare, in genere, non parvam attennuationem responsabilitatis; in specie, vero, interdum summam debilitatem nervei systematis, seu minimam resistentiam nervosam. Irritabilitatem non raro fateri debemus, pervenire ad gradum maximum ob intensos dolores physicos quos experitur infirmus. Idem dicito de impressionabilitate, de reactionibus reflexis et aliis hujusmodi.

In statu mentali valde deficienti, non abs re erit, quod confessarius inquirat notas antecedentes et concomitantes subjecti infirmi; hæc enim infirmitas dijudicanda est juxta symptomata aliave signa individualia.

Perturbationes psychicæ. — Clinica medicalis enumerat casus principales psychosis quæ oritur ab apparatu digestivo. Hoc modo illos distinguit.

Status vertiginosi (Vertigo a stomacho læso) dantur cum quodam sensu confusionis et amissione æquilibrii. Consciencia vero integra manet, et ut legimus apud Robin, ægrotus numquam est expers conscientiæ suorum actuum. Idem dicendum est de vertigine «intestinali» quæ oritur ab his: a congestione apparatus digestivi, a redundantia seu nimia plenitudine sanguinis, a reabsorptione productorum toxicorum atque etiam a reflexione abdominali.

Status a syncope. Sensuum defectio datur in crisi intestinali atque etiam in gravi indigestione; cum vero functiones digestivæ iterum fiunt ægrotus jam sibi est conscius. Hæc crisis fere semper gravitatem tantum simulatam habet; et illa phenomena neuropathica quæ provocat gravitate carent.

Insomnia. Frecuenter dantur in ægrotis dispepticis, ita ut gravem excitationem et superexcitationem provocent et profundas depressiones morales contrarios normali vitæ Quandoque statum gignunt neuropathicum, qui minuit semper quodam modo responsabilitatem subjecti ægrotantis.

Irritabilitas. In pluribus dispepticis est quasi character et sequitur alterationes stomachi. Tempore crisis ægrotus intolerabilis apparet, furiosus ostenditur, neminem amat, et omnibus odiosus est usque dum stomachus iterum bene valet. In hoc statu ægrotus attenuatam habet responsabilitatem.

Emotivitas. Efectus est defatigationis nervosæ, et maxime invenitur in illis ægrotis quos perturbationes gastricæ oppresserunt. Comitantur hunc statum tristitia tædium vitæ, impulsiones ad suicidium. Hoc tenendum est ante oculos ut judicemus de responsabilitate.

Fobiæ. Patet omnibus ægrotos dispepticos subjici magnæ fobiarum varietati, scilicet apprehensioni non rationabili quæ causa est obsessionis et angustiæ seu mæroris. Plures crises stomachales tamquam signa habent anxietatem, depressionem generalem et sensum mortis inminentis. Quum

fobiæ deveniunt irresistibiles tunc omissiones fere sine responsabilitate sunt. En aliquod exemplum: quidam agorafobicus (qui timet spatium) per annum integrum sensit difficultatem insuperabilem ingrediendi templum, ita ut singulis diebus dominicis aliquot gressus faceret per viam nec tamen pervenisset unquam. Denique ad limina templi progressus est; primo, vero, et altero die non valuit pedem protendere amplius; tertio die potuit intrare, et primum sacris officiis interfuit.

Abulia. Status quidam est depressionis psychicæ qui oritur a perturbationibus gastricis. Quum gravissimus est fere libertatem tollit vel minuit. Quum vero pigritiam tantum accusat, vel depressionem et desidiam moralem, minime culpabilitatem aufert de omissis et de comissis.

Excitatio genitalis. Quidam ægroti dispeptici, in crise, tranquillitate fruuntur, sed alii contra, dum doloribus gastricis laborant maximam excitationem genitalem patiuntur, quamquam non detur erectio penis. Clinica jam admittit has crises eroticos in quibus sæpe ægroti habent euforiam generalem, id est voluptatem quamdam et statum quo bene se habent. Quum hæ impulsiones genitales effectus sunt tantum mechanici plexus hipogastrici vel excitationis centrorum, præsertim plexus solaris, tunc voluptas non admissa culpabilitate caret.

Alii dantur modi psycopathici de origine digestivo. Hallucinationes, morbi cerebro-gastrici quos citat Leven, iidem ipsi ac illi vocati neuropathiæ cerebro viscerales a Grasset, confusio mentalis, anorexia dicta mentalis a Charcot, mania, delirium acutum, obssesiones, dipsomania et neurasthenia de origine digestivo.

Therapeutica. Quippe quod plerumque gastroneuroses insequuntur prædispositiones organopathicas, suadendum est pœnitenti uti therapeutica prophylactica, preventiva vel somatica. Medici disserunt de regimine hygienico prædispositis subjiciendo et de reeducatione morali.

Nihilominus, potissima media therapeutica in hujusmodi psychose sunt *quies* seu animi et corporis tranquillitas, *psychotherapia, secessus* a societate hominum et *suralimentatio.*

Quies absoluta vel relativa est necessaria in casibus trophoastheniæ, astheniæ cerebralis et myelastheniæ. Psychotherapia, hodiernis temporibus summa gaudet vi et efficacia (Vide alibi). De secessus bonitate nemo est qui dubitet, nam ipsa numeris quotidie firmatur. Regimen alimentitium a neuropathologistis ut res magni momenti habetur. Ita prosequi liceret de electrotherapia, et aliis systematibus physicis.

CAPUT IX

DE PSYCHOSE A DOLORE PRODUCTA

Dolor distinguitur in *physicum* et *moralem*. Uterque agit plus minusve directe in nerveum systema; primus attinet præcipue ad irritabilitatem organicam; secundus, ad impressionabilitatem psychicam. De utroque opportet agere, nam multa exordiuntur phænomena vere pathologica ex organismo æque ac psychismo.

Dolor physicus. Meminerimus tantum hunc admittere, teste conscientia, maximam varietatem modalitatum. Quoad ejus naturam, dum aliqui illum æstimant veluti vibrationem fortem et diuturnam centrorum nervorum conscientium, ut vult Richet; alii cum Wundt autumant esse violentam excitationem aliquarum partium sensorialium cum repercussione simultanea aliarum excitationum.

Doloris physici mechanismus non tutis teoriis innititur, ut facile inspicere potest lector apud Ribot (1), Sergi (2), Saint Vel (3), Mantegazza (4), Luciani (5) et alios. Ideoque eum omnino prætermittimus.

Potissima doloris phænomena seu modificationes quas in organismum producunt aperte constant ex diminutione motuum cordis, ex irregularitate et instabilitate respirationis et ex profunditate inspirationis. Ratione contractionis vasorum sanguineorum et periphericorum diminuitur temperatura, perturbantur functiones digestivæ et agitur in nutritionem ge-

(1) *Psicología de los sentimientos*, pag. 37 et seq.
(2) *Las emociones*, pag. 73 et seq.
(3) *De la douleur physique et morale.*
(4) *Fisiologia del dolore*, cap. III.
(5) *Fisiología humana* t. II, 2.ª parte, pag. 50.

neralem organismi. Non raro transcendit in functiones motrices producens nerveam depressionem, motuum suppressionem, quandoque æstuationem vel subagitationem et demum voces clamorosas.

Dolor ut status conscientiæ spectatus, seu ut complectitur elementum ejus psychologicum est phænomenon internum, quod nos commonefacit de descompositione vel inæquilibrio proprii corporis. Minime sufficit irritatio textilium ob læsionem vel intoxicationem ut dolor existat; necesse est, insuper, hanc irritationem sentiri seu animadverti.

Præcipua phænomena quæ in ordine psychico dolor physicus prodit sunt: irritabilitas plus minusve intensa characteris, juxta educationem religiosam et moralem patientis; cumulus imaginum et idearum ad desperationem ferentium; impulsio ad suicidium in personis scepticismo læsis, proindeque, illarum murum contentionis veritatum seu fidei religiosæ non habentibus; denique datur genus quoddam perturbationis in sensibilitate, per quod facile ingreditur confusio in conscientiam.

His positis, aperte comprehendit confessarius valorem et gradum responsabilitatis moralis ad quos pervenire potest psychismus infirmi vel patientis. Dolor physicus dumtaxat physiologicus nullo modo constituit psychosim, requiritur præterea interventio voluntatis et acceptatio a conscientia. Intra functiones mechanicas naturæ physiologicæ, plerumque agitantur imagenes, ideæ, sensationes, impulsiones et alia quæ jacent in conscientia. Similiter infirmus dolore oppresus perfacile dubitat circa divinam providentiam, verba sacrilega et inhonesta mentaliter edicit, figuras summe provocativas imaginationi suæ sese objicientes et alia hujusmodi admittit.

Dolor moralis. Duobus præsertim constat elementis subjectivis: *imagine*, scilicet, et *sensu*. Absque offensionis representatione, vel contrarietatis æconomicæ, vel angoris moralis, etc., non datur dolor; neque datur quin contrarietas seu offensio sentiatur. Ex. gr. Agitur de homine quodam et muliere, quorum fama seu existimatio ad trutinam revocatur et dure carpitur. Dum ambo id omne ignorant, nullam habent illius censuræ representationem nec ob eam sentiunt animi

affectionem; idcirco neque dolorem moralem. Duo elementa essentialia sunt ergo; representatio imaginativa et sensus.

Dolor moralis est magis vel minus intensus juxta gradus intensitatis in representatione et in sensu. Elementum objectivum minimam habet expressionem in hujusmodi phænomenis; imo sæpissime datur vivide phænomenon doloris absque ulla realitate, nempe, ope tantum phantasiæ.

In memoria tene, benevole sacerdos, quod nos hic, non de dolore physiologico sed de dolore pathologico agimus.

Duplex in hocce dolore datur forma: activa et passiva. Hæc ostenditur per profundam depressionem animique demissionem, ita ut homo pœnitus passive ad omnia se habeat. Apparet veluti imago melancholiæ et tristitiæ. In forma activa, ab acerba affectione dominatus homo, movetur, tristatur, luget, loquitur, inquirit, etc. Utraque forma successive sequitur in eodem subjecto juxta characteres personæ. Prima animi impressio ab hostili representatione producta, est summa depressio et animi demissio; sed cito apparet reactio proportionaliter intensa, quæ traducitur per activas formas doloris. Celeritas qua efficiuntur et sequuntur imagines in cerebro, perfacile explicat cur celeriter dentur actiones et reactiones in humana vita psychologica.

Status mentalis. Subjectus tribulatione vexatus magnam patitur depressionem in sensibilitate generali, in imaginatione, in emotionibus præter tristitiam a qua cæteræ omnes absorbentur. Superiores affectus amoris propriæ familiæ, tunc existentiam pure latentem in corde habent. Intelligentia est valde lenta vixque operatur; memoria est infidelis; voluntas incapax sese determinandi; paucis dicam: generales characteres qui dolorem moralem distinguunt sunt: sensus impotentiæ, demissio generalis sensibilitatis emotivæ, diminutio appetitus genesiaci et relationis socialis, denique, magna facultatum intellectualium debilitatio. Nihilominus, si hæc omnia accidunt in prima phase doloris moralis, seu in periodo passiva, semel data reactione, imaginatio acquirit extraordinariam vivacitatem, cerebrum plurimum laborat in emotionibus conficiendis atque ordinandis, intelligentia concipit,

voluntas summo vigore gaudet; ab homine demum recedunt paralysis vitæ psychicæ, abulia voluntatis et vacuitas affectuum.

Dolor sive moralis sive physicus producit in organismum perturbationes in circulatione, constrictiones vasomotrices, syncope, modificationes in respirationis rytmo et repercussionem super nutritionem.

Ab omnibus psychiatris admittitur cellulas lædi ob actionem psychicam in ipsas; melancholia, ex. gr., quæ reapse est forma quædam moralis doloris, magnam infert læsionem in nervea centra. Similiter dici debet de aliis moralibus affectionibus, ipsis aliqua analogia connexis, ut de tristitia, mania, monomania, obsessione affectiva, etc. Cunctæ hæ affectiones actionem plus minusve directam habent in organismum usque ad productionem læsionum in cellulas et in textiles, et perturbationes biochemicas et functionales. **Status moralis** pendet ex specie et intensitate pathologica morborum eum constituentium. Impressiones, impulsiones et quodcumque genus excitationis in patiente, minoris sunt momenti ob dolorem vel profundam animi demissionem eas provocantes. Tamen, ex se, minime responsabilitate carent.

CAPUT X

DE PSYCHOPATIA PUBERTATIS

Nomine pubertatis venit illa naturæ ætas in qua vir et mulier ab ipsamet natura suscipiunt aptitudinem sese reproducendi per generationem. Signum commune in muliere est apparitio menstruationis; in homine, vero, dignoscitur per fecundandi aptitudinem. Ob hunc actum, uterque maximas modificationes experiuntur sive in characteribus *physiologicis*, sive *psychologicis*, sive in qualitatibus *pathologicis*.

Quoad ætatem non eadem est in omnibus, nam, dum in quibusdam apparet anno duodecimo, aliis est in decimo vel decimo quarto, etc., juxta clima, stirpem, conditiones etnograficas, educationem et constitutionem individualem. Compertum est, inquit Krafft-Ebing (1) gentes meridionales offerre sensualitatem plusquam septentrionales. Varias tamen exceptiones meminit Fere (2), qui scripsit de casibus in quibus tertio ætatis anno vera pubertas apparuit.

Signa physiologica. Plerumque accidit, quod phænomena pubertatis distenduntur inter multiplices organismi perturbationes; quandoque autem locum habent modo vere normali; hoc in casu phænomena sunt pure physiologica.

Totus hominis organismus patitur adeptionem hujusce ætatis. Modificationes somaticæ generales quæ in organismo contingunt sunt: quoad ossa eorum nuda compago majori donatur resistentia, membra notabiliter augentur in longitudinem, systema musculare similiter in quantitatem et vim; transmutatur systema hemo-lymphaticum (sanguis et lympha); ma-

(1) *Psychopatia sexualis*, pag. 29.
(2) *L'instinct sexuel*, pag. 8.

ximæ contingunt quoque modificationes in systemate excretori, in respiratione, circulatione, secretionibus internis, in organis genitalibus, in organis sensuum, etc. In puero incipit activitas sexualis et instinctus genesicus. In puella, nubilitas annuntiatur per decoris apparitionem, necnon per primum sanguinis menstrui fluxum, qui locum habet in medio perturbationum a congestione genitali productarum.

Quod contingit in ordine physico quoad perfectibilitatem formarum, similiter accidit in ordine psychico quatenus ad perfectionem potentiarum attinet. In pubertatis periodo pueri et puellæ quamdam hyperestesiam psychicam patiuntur.

Signa psychologica. Intellectualis et moralis transformatio, quæ in periodo pubertatis supervenit, eamdem habet gravitatem ac perturbationes seu transformationes physicæ hactenus in hocce capite numeratæ.

Puber impressionabilior ostenditur et magis accessibilis est ad imaginationem necnon ad appetitum sensitivum et affectivitatem, quam impuber.

Meminerint confessarii, quod in hacce periodo puerorum facultates indigent studiosa directione; tunc enim evolvitur primo intelligentia, quæ plerumque dirigitur ad proprium objectum et adipiscitur proprium finem. Tunc quoque menti obveniunt quamplurimi conceptus et imagines omni rationali fundamento carentes, phantastici atque irrationabiles. Deest judicium practicum seu discretio sufficiens ad dijudicandam viam quam sequi oportet in directione vitæ psychologicæ; et aliunde fortissimus stimulus ex visceribus exortus compellit naturam sensitivam in triplicem ejus manifestationem, videlicet: in representationem, in affectum atque in appetitum. Cum in his angustiis res sit, resolvi nequit solo puerijuvamine; sed necessariam omnino putamus patris vel magistri interventionem, quorum est manuducere per vias veritatis et bonitatis cunctas puberis vires psychicas et morales erga suam completam distentionem et perfectionem.

Hæc omnia innuimus ad tota anima execrandum crimen quod frequenter a parentibus committitur, quando in hac ipsa ætate, parant illis pericula innumera sive in cinemato-

grapho, sive in aliis profanis relaxationibus, imo et fovent excitabilitatem passionum, temperamentum perturbant atque erotismum ita agitant, ut sæpenumero ad ruinam conducant conscientiam et vitam. Præsentia atque imago personarum sexus oppositi, quasdam usque ad diem ignotas passiones excitat, quæ verbis, lectionibus et comitibus usque ad summam degenerationem persæpe puberem perducit.

In puerulla mechanismus psychicus fere omnino pendet ex apparatu genitali et aliis visceribus, ut systema ganglionare sympaticum. E quo oritur, in ordine physico, periodica sanguinis evacuatio; in ordine morali diminutio vitæ intellectivæ seu comprehensivæ et augmentum emotivitatis et affectivitatis. Reactiones passionales emotivæ vasomotrices prevalent super reactiones voluntarias excitomotrices et super reactiones intellectivas.

Signa pathologica. Vitia degenerativa quæ herentia pathologica apud puberem pater infectus vel læsus deponit, elucent seu apparent præsertim in pubertate; ulterior evolutio et explicatio organismi ea revelat misteria, quæ ex illo pendent tamquam ex conditione. In degeneratis cunctæ apparent varietates, quæ sese produnt in perturbationibus instinctus genesiaci, in inversione perversioneque sexuali, in furore erotico, etc. Genitalia, ut infra (lib. IV) videbimus, nexum intimum servant cum systemate nerveo per plurimas relationes, præcipue per diversa centra inter se unita intra axum cerebro-dorsale, medullam dorsalem, bulbum et corticem cerebri; quæ omnia promovent nimiam sexualem activitatem.

Transmutationes quæ puerullos insequuntur in periodo pubertatis, organismum atque psychismum plerumque ita vulnerant, ut intense systema nerveum lædant et inde statum mentalem profunde confusum relinquant.

Infirmitates quæ ex pubertate oriuntur potissime sequentes numerantur. Pinel asserit pubertatem persæpe determinare alienationem mentalem (1). Idem sustinet Esquirol (2) relate ad puerullas.

(1) *Traité médico-philosophique sur l'aliénation mentale*, París, 1809.
(2) *Des maladies mentales*, Paris, 1838.

Non abs re erit innuere, quod perturbationes mentales et morales revelantur quamplurimum in personis aliqua infirmitate laborantibus. Et re quidem vera: organismus sic prædispositus, suscipit quoddam genus novum impressionum novumque mechanismum visceralem, qui in actionem mittitur ob especiales et quandoque vehementes emotiones instinctus sexualis. Complexitas hujusce mechanismi, rationem reddit plurimarum perturbationum in ordine somatico, peripherico, centrali, mentalique productarum, præsertim quando obsequuntur imperio seu actioni amoris, tristitiæ, hallucinationis, voluptuositatis, desperationis vel cujusvis passionis fortiter influentis.

Inter phænomena frequentiora pubertatem insequentia, memorare tantum sufficiat *melancholiam*, maniam, confusionem mentalem, hallucinationes, hebephreniam, paralysim generalem progressivam, kleptomaniam, phobias diversas, piromaniam (impulsionem ad incendium), dipsomaniam, (impulsionem ad vinum excessu bibendum), et alia quamplura non minoris gravitatis, quæ facile invenies tum in pueris tum in puellis in praxi confessionum.

Statum physiologicum pubertatis proprie sequitur quædam infirmitas *anorexia mentalis* nominata; quæ etsi in acutis infirmitatibus æque ac in chronicis exiguam habeat gravitatem, in nervosis morbis, tamen plurimam ei agnoscit recens clinica.

Anorexia, sensu litterali accepta, idem est ac *cibi adversatio*.

Anorexia mentalis fere semper advenit a decimo quinto ætatis anno ad vigesimum, post aliquam emotionem et præcipue in puellis, post primam sanguinis evacuationem. Anorexia, inquit André-Thomas (*Psychoterapia*, pag. 374), est status mentalis specialis: dum constituitur status morbidus, amittitur memoria, diminuitur attentio, idearum associatio difficile percipitur, difficilius voluntas determinatur et demum automatice fere activitas exercetur.

Juxta symptomatum gravitatem metiri debemus **gradus responsabilitatis**. De hacce tractabimus in libro IV, ubi de perturbationibus sexualibus agemus.

Puberes—scribit Zacchia,—habent quidem rationis inte-

grum pene usum, adhuc tamen rudem ac imperfectum; et ubi ratiocinatione opus est, hi minime valent; quamobrem omnia absque prudentia agunt, ut perbelle ait Homerus: «Sic non sperares juniorem obviantem facere. Semper enim juniores imprudenter agunt.» (Odiss. 7.) Puberes nimis ab impressionibus ducuntur, a passionibus vincuntur et in voluptuosa impetu quodam irrationali feruntur.

Hac in ætate, confessarius crebro inveniet puellas sese accusantes, veluti de gravi peccato, de eo quod amica quædam confidenter sibi aperuit sensum generationis filiorum. Ipse vero, prudenter se gerat in re tanti momenti; nam etsi cognitio mysterii generationis ab omni vacat peccato, nihilominus oportet ut ultra quod patitur moralis resistentia eis minime innotescat seu reveletur.

CAPUT XI

DE AUTOMATISMO NERVEO

Status quæstionis. Quamplures dantur actus in humana vita, systemati nerveo obstricti, quos distinguimus per eorum independentiam a voluntate. Inter eos perfacile dignoscuntur status passionales pathologici, nonnulli status extraphysiologici et cuncti reflexi. Hæc omnia phænomena, in recenti psychologia experimentali cumulata sunt sub nomine et conceptu *automatismi nervei*.

Nervi, reapse independenter a phreno et interventione voluntatis plerumque operantur; eorum phænomena distenduntur intra ordinem sensitivum ab imagine, vel impressione, vel stimulo vel quovis alio agente provocata, excepta tantum libera voluntate.

Opportunum de hoc agere in præsente judicamus, quia præfata quæstio viam nobis pandit ad præstantissima principia moralia detegenda ut rite solvantur multa problemata ab psychologia experimentali introducta.

Ut ordinate procedamus in sequentes resolvimus paragraphos:

Generalitates. Hujusce quæstionis scopus reipsa in eo sistit, quod accurata diligentia determinatur mechanismus necnon reflexuum functiones.

Stricte sumptus actus reflexus, est quævis reactio immediata alicujus elementi vita atque excitabilitate prædíti actionem stimuli exterioris insequentis. Strictiori adhuc sensu physiologico definitur: «Transformatio involuntaria nervea e centripeta in centrifugam, favente organo centrali per cumulum cellularum ganglionarum representato.» Nobis interest re-



Fig. 6

CELLULA OVULARIS. — *a*, capsula. — *b*, membrana fundamentalis. — *c*, protoplasma. — *d*, membrana nuclearis. — *e*, nucleolus. — *f*, nucleus



Fig. 7

CELLULA MOTRIX MEDULLÆ SPINALIS CUNICULI. — *a*, cylindraxum. — *b*, grumus chromaticus. — *c*, spongioplasma. — *d*, nucleus. — *e*, grumus bifurcationis



Fig. 8

CELLULA PYRAMIDALIS EX CEREBRO CUNICULI DESUMPTA. — *a*, protractiones protoplasmaticæ basilares. — *b*, truncus cum ramis ejus. — *c*, collaterales cylindraxi. — *d*, substantia alba. — *e*, cylindraxis longus



Fig. 9

CELLULÆ NEUROGLICÆ EX SUBSTANTIA ALBA CEREBRI ADULTI DESUMPTÆ. — *A*, cellula neuroglica perivascularis. — *B*, cellula neuroglica longas expansiones habens. — *C*, corpuscula neuroglica pediculata. — *D*, vas capilare

flexum distinguere quatenus penitus excludit actum voluntarium.

Omnibus compertum est dari actionem voluntatis phrenatricem seu inhibitoriam in actibus ordinis mere sensitivi intra statum normalem seu physiologicum. Nihilominus permulti dantur casus in quibus automatice, voluntate renitente vel absente, nervi sive centrali sive peripherici operantur. Hoc phænomenorum genus vocatur *automatismus nerveus.*

Prænotiones anatomicæ. Has notiones opportunum nobis videtur præmittere ut facilius intelligatur quidquid ad reflexum refertur.

Motus reflexi, ut docet Van Gehuchten (1), originem ducunt penitus medullarem. Duplicis generis præsertim dantur viæ medullares: *viæ exogenæ*, seu illae quæ extra medullam oriuntur; et *viæ endogenæ*, sive eæ quæ de medulla originem sumunt. Primæ huic legi, hæc Valler verba subduntur: «Fibra nervea propriam integritatem anatomicam et physiologicam servare dumtaxat potest, quando nulla adest perturbatio ipsam inter et cellulam trophicam ejus originis.» Quoad secundas vias seu endogenas, ut gignatur interruptio quædam in nervea conductione, necesse est ut læsio in ipsa medulla sita sit, in cujus grisacea substantia invenitur sedes exclusiva nervearum cellularum quæ sunt in medulla.

Est quoque in medulla duplex cumulus cellularis: cellulæ, nempe, *funiculares*, cellulæque *radiculares*. Ex primis initium sumunt neuronæ centripetæ et fibrillæ intersegmentariæ; secundæ distenduntur usque ad radices raquideorum nervorum. Radiculares sunt insuper motrices.

Ex **Anatomia pathologica** liquet, Valler et Testut testibus, quod cellula nervea, utpote centrum trophicum nerveæ fibræ inde exhortæ, patitur juxta hanc legem a Cornil et Ranvier confectam: «Omnes cellulæ nerveæ in homine et in animantibus sunt susceptibiles sentiendi læsionem cilindraxilibus protractionibus insitam.» Idem dicendum cum agatur de

(1) *Les centres nerveux cérébro-spinaux*, Louvain, 1908.

excissione nerveæ fibræ, nam pars peripherica in deterius profunde commutatur, dum pars centralis, saltem ad tempus, anatomicam integritatem servat. Perbelle inspicere permittit hujusmodi doctrina naturalia consequentia, quæ ex qualibet interruptione deducere valet theologus quoad incitationes motrices voluntarias.

Ut læsiones cellulares et fibrillares aliquo valore symptomatico gaudeant, has præbere debent conditiones: 1°, læsio debet esse characterizata et profunda; 2°, sit certe et distincte locata; 3°, functionem inter et læsionem magnam et strictam habere debent relationem. Ut communiter fertur, læsiones cellulares necessario perturbationem functionalem producunt.

Prænotiones physiologicæ. Medulla est organum sensitivum, motor, vasomotor et trophicum. Syntesis physiologica sequentem permittit formulare propositionem: «sensibilitas corporis, lato sensu, existere tantum potest generatim et modo normali, cum radicum posteriorum et neuronarum intercalarium integritate».

Motilitas comprehendit phænomena quæ ad motus voluntarios, ad tonum et ad reflexus referuntur. Notum est, quod viæ corticoespinales veluti vias motrices præcipuas spectant quippe quod dantur aliæ viæ secundariæ, ad quas pertinet primas substituere casu necessitatis. Certum quoque est, stimulum quemlibet mecanicum in determinatum corporis locum actuantem, phænomena motritia contractionis, reflexum vocata, producere.

Organis centralibus constanter affluunt centripetæ et subconscientes excitationes, valde intensæ, ad contracturam muscularem *tono* cognominatam producendam.

Cellula nervea repræsentat centrum trophicum ad quascumque prolongationes ex illa emergentes; consequenter, cellulæ radiculares in medulla jacentes, debent attendere nutritioni earum systematis nervei peripherici partium ex quibus ortum ducunt; id est, motorum nervorum, nec non musculorum.

Juxta doctrinam recentis hysthologiæ et physiologiæ, quævis motrix incitatio in cellula cerebrali exhorta, descendit

ad medullam protractionem cilindraxilem prædictæ cellulæ insequentem. Præfata protractio seu prolongatio cilindraxilis, in quemdam cumulum fibrarum terminat, quæ itidem cum prolongationibus protoplasmaticis unius cellulæ ex hastis anterioribus desumptæ articulantur. Ope hujusce articulationis transmittitur ejus vibratio ad cellulam respectivam et inde ad musculum. Ita constituitur seu locum habet *motus voluntarius*.

In *motu reflexu*, impressio peripherica ex qua exorditur reflexus, transmittitur quoque ad medullam per aliquas nerveas fibras; his autem fibris, non tantum deest anastomosis seu communicatio cum cellula motrici, sed ulterius hæ resolvuntur in quoddam sertum sive fasciculum fibrillarum liberæ terminationis, quod cellulam motricem circumdat et cum dendritis ejusdem articulatur. Per hanc articulationem transit nervea vibratio e neurona sensitiva ad neuronam motricem, ubi revera transformatur in incitationem motricem et ex inde in contractionem muscularem (Testut).

Omnia præmissa ad hoc reduci possunt: 1°, corpus neuronæ est quoddam centrum activitatis, faciliter in actum versum, modificationum organicarum causa, vel etiam ob actionem animæ; 2°, protractiones protoplasmaticæ sunt vectores cellulipeti. Vibratio eis communicatur vel per externam excitationem, vel per fibrillas terminales in protractione cilindraxili proximioris neuronæ jacentes, quemadmodum accidit in neuronis centralibus; 3°, protractio cilindraxilis est vector cellulifugus. Vibratio ipsi tantum communicatur a corpore cellulari supra quod situs est.

Principia psychologiæ pathologicæ. Certum prorsus est cellulam nerveam essentialiter esse vulnerabilem, præsertim in quibusdam elementis constitutivis, prouti sunt, substantia cromatica, protractiones, etc. Læsiones valorem quemdam *ætiologicum* habent, quatenus determinare permittunt naturam noxii agentis; valorem habent quoque *pronosticum*, quatenus ipsarum causa prævidetur cursus cellulæ specialiter læsæ; demum valorem habent *symptomaticum*, qui præbet nobis rationem et mensuram functionalis perturbationis in organismo vel in centro nerveo productæ.

Hoc firmiter admisso, perfacile defenditur læsiones hystologicas quamdam realem proportionem servare cum perturbationibus organismi functionalibus; et insuper, reipsa patitur psychismus sive inferior sive superior subjecti, juxta gravitatem læsionum, perturbationum vel quarumdam organismi modificationum.

Duplicis generis sunt phænomena automatismi nervei, opere prædictarum inordinationum producta; ea reducuntur ad *exaltationem* vel ad *animi depressionem*; nam læsiones vel excitationem anormalem determinant, vel inhibitionem ita exaggerant, ut penitus activitatem supprimant. Utraque phænomena unius et ejusdem subjecti vel organismi sunt attributa: si excessum accusant, patefaciunt alterationem quamdam funiculorum motricium et muscularium corticis cerebralis et medullæ; si defectum dicunt, extinguitur functionalis activitas respectivi et læsi elementi.

Non nobis aufugiunt magnae difficultates, quæ patogeniam exaltationum ambiunt, nam est res multorum torquens ingenia. Tamen documenta ab omnibus admissa et confessariis necessario cognoscenda sunt, quæ ad interpretationem symptomatum in infirmitatibus nervei systematis repertorum diriguntur, scilicet: læsio *in centrali neurona motrici* essentialiter secum fert paralysim musculorum ad quos ipsa transmittit activitatem actioni seu dominio voluntatis substractam; læsio in *neurona motrici peripherica* similiter determinat paralisym respectivam musculorum.

Nihil addendum putamus de *atetose*, quae est affectio systematica læsionis cerebralis, quam necessario comitantur motus involuntarii quorumdam membrorum, præsertim manuum et pedum; nam gesticulatio est character distinctivus atetosis. Idem dicito de *tics*, quorum phænomena sequuntur statum organopathicum cerebralem.

Mechanismus philosophicus automatismi nervei. Ut hoc problema facilius resolvamus, opportunum distinguere censemus tria elementa ipsum constituentia, nempe: elementum *organicum*, elementum *sensitivum* atque elementum *spirituale*. Ea omnia aguntur in natura humana; namque dantur



Fig. 10

CONSOCIATIO NEURONARUM

Neurona *A* per axonem consociatur cum dendritis neuronæ *C*, hæc cum *B*

(Testut)



Fig. 11

ARCUS REFLEXUS

a, pellis.—*b*, nervus sensitivus.—*c*, ganglion spinale. — *d*, radix anterior. — *e*, nervus motor. — *f*, musculus

(Charpy)

cellulæ, fibræ, tubuli atque neuronæ; dantur quoque nervea centra cum omnibus eorum elementis structuralibus, talia, qualia conditio organi ad functionem sensitivam destinata exigit. Datur, denique, quædam virtus sensitiva in natura, quæ nobis panditur per materiam.

Est in homine anima spiritualis, quæ cerebro necnon centris materialibus nerveis utitur ad operationes suas eliciendas. Ut clarius perspiciatur mechanismus philosophicus arcanum automatismi nervei explicans, opportunum nobis videtur determinare interventionem præfatorum elementorum in productione actus voluntarii, et excessum vel defectum ipsorum quatenus phænomenum mechanicum automatismi nervei determinant.

Systema mechanicum neuronarum et eorum conexionum paratum est ad actionem, dum agens quidam super eorum cellulas sensitivas et motrices operetur. Hujusmodi agens seu stimulus potest esse vel mechanicus vel psychicus, nam vel respondet reactioni intoxicationis et infectionis vel actui voluntatis in centra psychomotricia. Imo nonnulli motus nervei et musculares exclusive producuntur a segregatione glandulari, ut frequenter accidit in phænomenis erotismi, ut fusius in libro IV enucleabimus.

Valet ergo apud omnes, quod organismus humanus est mechanismus ita dispositus, ut indifferens maneat ad unam vel ad alteram actionem subeundam, et ad cujusvis agentis actionem admittendam.

Aliud statuere volumus principium, seu melius, factum, vi cujus prædictus apparatus agit sub influxu *naturalium* stimulorum, qui ex functionibus vegetativis oriuntur, vel sub influxu stimulorum *artificialium*, ut sunt elementa toxi-infectiosa. Usquequo pervenire potest organica functio sub hujusmodi elementorum influxu? Absque dubio, eosdem, imo majores adipisci valet gradus intensitatis et durationis perinde ac in statu normali, id est, quando agitur per interventionem liberæ voluntatis. Facile itaque perspicitur pondus, quod intra automatismum nerveum habet simplex constitutio hystologica centrorum cerebro-spinalium.

Ut certum statuit perenne psychologia, vitam animalem

in homine evolvi posse absque ullo influxu seu interventione spirituali mentis et voluntatis. Physiologia et clinica recens, verbum adinventæ sunt, mire has omnes manifestationes motuum muscularium et nerveorum congregans; verbum hoc est *kinestesia*. Carolus Bell, anno 1826 eadem phænomena exprimebat sub nomine *sensus muscularis*.

Psychologia experimentalis penitus admittit motus musculares inconscientes ab imaginibus, emotionibus et sensitivis impressionibus productos. Phænomena hæc secum ferunt vibrationem quamdam cellularem, plus minusve intensam, in quibusdam regionibus cerebralibus a qua perfacile motus automatici provocari queunt. Hujus generis sunt: obsessiones, seu imagines fixæ; emotiones pathologicæ, quæ physice nituntur in cerebro; impressionesque exaggeratæ, crebro reflexus provocantes.

Potentia imaginum in motuum productione, practice perspicitur in phænomenis suggestionis mentalis. Imago emotione imbibita motum intensiorem indefectibiliter producit; maxime, quando agitur de impressionabilioribus subjectis. «Hi motus involuntarii atque automatici — scribit, Grasset (*Ocultismo*),—sunt psychici ut cæteri; eorum exordium in corticalibus neuronis invenitur, hac tantum differentia, quod hi jacent in neuronis psychismi inferioris, non autem psychismi superioris. Iisdem subjiciuntur legibus, quibus subjecti manent actus voluntarii.»

Conclusiones morales. Ex præfatis aperte liquet, omnes actiones in statu veri automatismi productas, omnino carere responsabilitate; cunctos actus sub notabili influxu elementi pathologici elicitos, graviter minuere debere moralem responsabilitatem. Elementa pathologica sunt, quævis agentia, profunde liberam directionem actuum modificantia, ut habetur inter imagines, ideas, impressiones, irritabilitatem, etc., cum ipsa potissime animam perperam dirigant.

Plures, insuper, dantur casus in quibus revera delegitur nerveus automatismus. Præfatis adjungenda sunt plura phenomena quæ accidunt in motibus primo primis, in statibus

somnambulismi, profundæ sugestionis mentalis atque etiam passionalibus pathologicis.

Existit verus nerveus automatismus in quibusdam motricibus agitationibus, recenter a neuropathologistis TICS vocatus. Tics est motus convulsivus, habitualis et consciens ex contractione involuntaria unius aut plurium corporis musculorum proveniens. Prætermissis cæteris speciebus *tics,* sive palpebrarum, quæ generatim respondent actibus productis ex præsentia cujusdam corpusculi extranei in oculo, vel ex luce clariori, sive labiorum, oris, capitis, colli, etc., distinguitur. Pauca addam in praxi confessionum frequentiora.

Teste Charcot, *tic* nihil aliud est nisi ridicula imitatio actus veri; est actus irrationalis, quia inconsulte et absque motivo ellicitur. Recentiora studia circa *tics* enucleare intendunt nexum existentem inter statum mentalem qui illos producit, et motum vel gestum ipsos comitantem. In scrupulosis perpluries reperitur motus capitis et oculorum ob fictas tentationes ab exaggerata impressionabilitate inflictas. Testibus psychiatris, hoc irrationabilium motuum genus determinatur propter mentales manias, seu melius, monomanias.

Hujusmodi infirmitas, ait Dejerine, frequenter reperitur in subjectis statum mentalem specialem habentibus, inordinatis, excentricis atque inæquilibratis. In hac degenerationis basi evolvuntur phobiæ, obsessiones, etc., quæ perfacile graves characteres acquirunt.

CAPUT XII

DE PSYCHOPATHOLOGIA ET RESPONSABILITATE MORIBUNDI

Summopere confessariorum interest, statum mentalem et moralem moribundi in periodis præagonicis distinguere, nam crebro accidit, verbis et actionibus infirmum quædam facere quæ suspicionem inducant circa eorum responsabilitatem.

Præmonere volumus, nihilominus typum clinicum a nobis selectum non esse hominem penitus dementem, nec subjectum graviter degeneratum, nam de his non est quæstio; sed agitur de infirmis normalibus, accidentes, læsiones, traumatismos, intoxicationes vel infectiones patientibus, quæ via ordinaria mortem inducunt.

Quæritur, ergo: in periodo præagonica adestne vera responsabilitas moralis actuum?

En quæstio a psychopathologia proposita et a clinica solvenda. Hujusmodi solutionem tentabimus sequentibus in paragraphis:

I. **Documenta hystologiæ pathologicæ.** Infirmitas et degeneratio personæ supponit semper mortem vel saltem alterationem cellularum necnon textilium. Cellulæ omnibus physiologicis functionibus fruuntur, ut supra dictum est, et sunt vulnerabiles circa ipsas functiones.

Hypertrophia cellularum generatim subjicitur quibusdam pathologicis statibus textilium, veluti inflammationibus, neoplasiæ et tuberculis.

Atrophia physiologice inspecta frequenter in vita locum habet, nam datur in organis, venis, vasis, etc., cum munus proprium adimpleverunt; quemadmodum atrophiantur cellulæ ob infirmitates in centra nervea agentes.

Cellulæ degenerare possunt plures ob causas, inter quas granulatio et toxiinfectio numerantur: prima consistit in ingressu granulationum albuminosarum in protoplasma, quod notabiliter nocet ipsius actioni. Hoc accidit præsertim in infectiosis infirmitatibus et in quibusdam intoxicationibus. Crebro locum habet in prima febrium periodo. Secunda, seu toxiinfectio interdum alterationes degenerativas simplices producit, interdum læsiones inflammatorias vasculoconjunctivas. Utraque provocat processum morbosum in systemate nerveo, fere totum organismum perturbans. Reactiones locales defensivæ textilium nervei systematis contra agentem nocivum exteriorem proprie constituunt phænomena inflammationis, quæ multifariam ostenduntur.

Hodiernis temporibus hystologia pathologica aliqua capita definivit, quæ olim obscura manebant, relate ad subtiliores læsiones cellularum nervei systematis. Læduntur plerumque substantiæ et cromatica et acromatica, protractiones, nucleus et nucleolus cellulæ e quibus enascitur notabilis functionum physiologicarum et psychologicarum perturbatio.

Inductiones hystologiæ hanc permittunt legem statuere: «Cunctæ cellulæ nerveæ in homine et in irrationalibus offenduntur ob noxiam actionem super protractiones cilindraxiles exercitam.» Læsiones frequenter proveniunt ab intoxicationibus, infectionibus et notabilibus temperaturæ mutationibus.

II. **Physiologia pathologica**. Anatomia pathologica, teste Cl. Bernard, non est unica scientia cuncta phænomena morbida naturæ explicans, nam altera dantur alius ordinis principia, quæ rationem reddunt plurium infirmitatum ejusdem naturæ; hi agentes sunt perturbationes idearum, emotionum et physiologicarum functionum.

Fere omnes infirmitates quodam pondere gaudentes, sese offerunt cum ascensione vel descensu exaggeratis temperaturæ, id est, cum *hypertermia* vel *hypotermia*.

Animadvertendum est nos hic agere de periodo immediate præcedenti agoniæ, seu de *periodo præagonica*.

Processus febrilis infirmi essentialiter secum fert hyper-

termiam, pulsus respirationisque frequentiam et quamdam status generalis lassitudinem.

Claude et Camus in clinica descriptione febris triplicem modalitatem seu phasim distinguunt. Prima cognoscitur per violentum tremorem: infirmus est frigori obnoxius et tamen temperaturam plus æquo elevatam habet. In phase altera intensiorem calorem experitur; in tertia, denique, sensatio quietis animadvertitur, sequitur enim quamdam sudoris secretionem plus minusve trascendentem et temperaturæ descensum. Unde nuncupantur: *phasis frigoris*, *phasis caloris* et *phasis sudoris*.

Febres, ætiologice, seu ratione causarum spectatæ, sunt: *infectiosæ*, *toxicæ* et *nerveæ*. In infirmitatibus acutis, febris fere semper est infectiosa. Febres *septicæ* seu melius *toxicæ* sunt communiores, et speciali modo super centra nervea operantur, præsertim toxici hypertermizantes: stricnina, morfina, atropina, etc. Febres nerveæ sunt minus frequentes; reperiuntur nihilominus in pluribus phænomenis psychopathicis et in perturbationibus encephalopathicis. Enucleatum fuit a Cl. Bernard excitationem directam nervorum hypertermiam provocare. Hodierno autem die constat destructiones experimentales vel spontaneas nerveorum centrorum ascensum notabilem caloris determinare. Admittitur quoque, crisim acerbam frequenter provocare hujusmodi febrium apparitionem.

Phænomena quæ accidunt in hypotermia (descensu temperaturæ), clinice inspecta sunt minus frequentia et minoris gravitatis. Iisdem subjiciuntur regulis, quoad significationem mentalem, ac cætera omnia hypertermiæ.

Infirmitates quas communius patitur moribundus sunt: *meningitis acuta*, seu læsio, irritatio vel infectio membranarum, quæ centra nervea sive medullam, sive cerebrum involvunt. Signa clinica potissime a nobis adnotanda in diagnostico meningitis cerebro-spinalis conficiendo sunt: 1°, *cephalea* intensa et gravativa, quæ ab infirmis aufert omnino quietem et tranquillitatem; 2°, *vomitus cerebralis* nuncupatus, id est, is qui absque violentia producitur; 3°, *perturbationes psychicæ*, seu delirium, agitatio, apatia, somnolentia, indiffe-

rentia, etc.; 4°, *gemitus nocturni*; 5°, *contractiones abdominales*, uti sunt, convulsiones, paralysis et motus involuntarius seu *reflexus*.

Meningitis tuberculosa, in qua inficitur *pia mater* a baccillo Koch, profundas infert alterationes in encephalum, ut reperiuntur perfacile ope microscopii tum in puero, tum in adulto et in sene. Hac tamen differentia, quod in puero offenditur seu perturbatur præsertim nutritio, ex quo sequitur tristitia, apatia, amnesia, etc.; in adulto determinatur præcipue in unico hemispherio; in sene similiter ac in adulto determinari queunt quædam phænomena delirantia cum perdurabili confusione mentali.

Cæteræ formæ meningiticæ pœne eadem habent symptomata psychica ac præcedentes. Localizatio læsionum in particularibus læsionibus encephali et febris intensitas, rationem reddunt plurium inordinationum in intelligentia, in sensibilitate, in voluntate atque in conscientia

Inter encephalopathias insuper adnumeratur *apoplegia cerebralis*, quæ subitam conscientiæ, sensibilitatis et motilitatis amissionem producit, absque essentiali modificatione functionum, quatenus spectant ad respirationem et ad circulationem. Provocari potest a remollitione cerebrali, ab hemorragiis meningeis, tumoribus, etc., imo, etiam ab hysterismo.

Apoplegia hic sumitur seu limitatur ad actum in quo sanguis extra vasa vel venas effunditur. Periodus statum apopleticum initialem protrahens vocatur *coma*; in qua penitus amittuntur facultates intellectuales et morales, uti sunt intellectus, conscientia et voluntas, adhuc etiam sensitivæ et motrices.

Dantur *phænomena irritativa*, in quibus, teste Krehl, musculi striati accipere queunt multiformes motus inervationis a voluntate independentes et etiam refractarios. Quidam motus convulsivi in una incipiunt regione et in alteram vel in totum corpus propagantur; nam quævis læsio a regionibus nervei systematis centralis provocare potest motus convulsivos musculorum.

Aptitudo functionalis nervei centralis systematis pendet

a normalitate in *circulatione et irrigatione sanguinea.* — Anomaliæ circulares non nisi post influxum super medullam oblongam in corticem cerebralem operantur. Tunc conscientia obnubilatur et infirmi sensationem insufficientiæ respiratoriæ amittunt.

Anemiæ cerebrali crebro tribuuntur status transitorii in quibus amittitur cognitio intellectiva et claritas conscientiæ. Plusquam defectus ubertatis oxygeni, confert seu gignit anemiam defectus generalis nutritionis substantiæ cerebralis—ait Krehl.

De *diabete nervea* alibi agitur (Vide caput VII).

Status actualis cognitionum nostrarum, inquit Raymond, in magno opere *Pathologie nerveuse*, circa processus toxi-infectiosos, asserere permittit omnes infectiones, et intoxicationes posse apparatum nerveum in aliquibus vel in cunctis ejus partibus offendere. Quædam microbianæ infirmitates, primarie et modo electivo attingunt nerveum systema, aliquando cum in axo cerebrospinali agentem pathogenum permeant, ubi multiplicantur; interdum, vero, cum maneat microorganismus in ipso introductionis loco, e quo toxinas mittit, quæ sequuntur protractiones nerveas usque ad eorum localizationem in medulla, in bulbo atque in cerebro. Tamen, quamvis, experientia teste, paucis in casibus commonstratum sit factum hujusmodi intoxicationis, non infrequens reperitur præsentia bacteriarum in nerveo systemate, nam hocce specialem resistentiam bacteriarum colonizationi offert. In hocce capite agitur de factis enucleatis, in quo sensu asserimus infirmitatem infectiosam provocare posse quamdam bacterianam invasionem in textilia et centra nervea. Præsentia bacteriarum in centris nerveis cum eorum perturbationibus, rite, ope microscopii, a Fraenckel commonstrata fuit.

Quamvis intimus mechanismus actionis bacteriarum hactenus ignotus maneat, nihilominus determinari queunt potissimæ viæ penetrationis earum; videlicet hoc ita solet accidere: ingrediuntur per vias sanguineas præsertim arteriales, usque dum agens infectiosus perveniat ad centra nervea ope circulationis; permeatur quoque per viam lymphaticam usque ad

invasionem unius partis nervei systematis et loci proximi contagionem.

Plurimæ numerantur infectiones, intoxicationes et læsiones, ex quibus necessario sequuntur perturbationes mentales et confusiones conscientiæ, præsertim in preagonicis periodis.

III. **Principia psychologiæ experimentalis.** In præsenti quæstione necesse est duplex vitare extremum æque reprobabile: affirmationes *scholæ somaticæ* juxta quam, omnis confusio mentalis e perturbatione quadam organica exclusive provenit; et affirmationes *scholæ idealistæ*, quibus negatur omnis organismi interventio. Nos autem absolute sustinemus *criterium medium* his terminis expressum.

Systema philosophicum et morale a nobis confectum, sequentia comprehendit principia: 1um, læsiones et alterationes organicæ veram servant relationem realem cum inordinationibus et perturbationibus mentalibus pluribus in casibus; 2um, plerumque quidam status mentales perturbationis et confusionis moralis exordiuntur e gravibus imaginum et idearum perturbationibus; 3um, affectivitas et emotivitas pathologica gignere et parire possunt graves inordinationes mentales; 4um, demum, dantur plurimi casus psychicæ perturbationis ex origine sexuali, hoc est, causa degenerationis, aberrationis vel inversionis sexualis quoad instinctum vel quoad ejus physiologicam structuram.

Concludendum ergo est, status psychopaticos minime definiri sola anatomia pathologica, vel sola physiologia, nec sola psychologia; genesim, naturam et mechanismum præfatorum statuum explicari seu enucleari ab omnibus his elementis conjunctis.

Hæc omnia perbelle psychopathologiæ moribundi applicantur.

Re quidem vera: Agimus in præsenti non de periodo agonica in qua nulla datur responsabilitas, sed de periodo præagonica, seu de ea quæ immediate præcedit agoniam. Organicæ alterationes quas infirmus patitur pendent ex specie, intensitate vel duratione infirmitatis. Insuper, experientia

multorum annorum, infirmorum assistentiae dicatorum, docuit nos circa pathologicum characterem, quem frequenter acquirunt in ipsis, numerus non brevis imaginum, idearum, obsessionum, quæ totam abripiunt vitam ejus psychologicam. Idem dicendum de maniis, depressionibus, melancholiis et aliis formis pathologicæ emotionis a quibus summe lux conscientiæ diminuitur, vis voluntatis restringitur et exercitium libertatis valde præfinitur.

IV. **Status mentalis moribundi.** Hanc notam intimæ psychologiæ aggredimur, non absque difficultate; sed postquam compertum est studium experimentale, plurimis observationibus comitatum in perlonga assistentia infirmorum factis auctoritatem nobis confert ad sequentes leges encephalopathicas formulandas:

I. Omnes infirmitates graves cerebrospinales perturbant, servata proportione intensitatis, cognitionem, sensibilitatem et actus voluntarios. Hi substituuntur per reflexus medullæ ac per automatismum psychomotorem cerebri. Cognitio, aut melius, intelligentia, plerumque exercet dumtaxat actus directos absque ulla reflexione conscientiæ.

II. Graves infirmitates, quæ non attingunt directe systema cerebrospinale, actionem habent indirectam in psychismum superiorem; et causa temperaturæ anormalis, nec non nerveæ irritationis ab ipsa provocatæ, anima aliquam experitur confusionem conscientiæ in æstimatione actuum.

III. Omnes fere infirmitates graves secum ferunt characterem neuroticum vel psychoneuroticum. In quibusdam accipiet nomen maniæ, melancholiæ, obsessionis, abuliæ, etc.; in aliis sumet formam confusionis mentalis, perturbationis imaginativæ, exaggeratæ impressionabilitatis, irritabilitatis atque emotivitatis.

Ex quibus docemur, deturbationes in machina materiali naturæ organicæ passas magnum detrimentum afferre functionibus compositi humani. Anima, præterea, in facultatibus suis superioribus graviter offenditur, propter læsiones elementis inferioribus invectas. Gradationem proportionalem admittere possumus ab elemento organico imper-

ceptibiliori, vi cujus maxime perturbantur functiones nutritivæ, usque ad centrum nerveum majoris momenti per quod detrimentum patiuntur facultates sensitivæ, et usque ad centra superiora, quorum deturbationes indefectibiliter efferunt quidquid inordinatum et confusum reperitur in ordine ideativo, in ordine affectivo, voluntario et conscienti.

V. **Status responsabilitatis moralis**. Conscientia *moralis* essentialiter distinguitur a conscientia *sensitiva*, etsi hæc feratur ad apicem summum perfectionis. Conscientia theologice inspecta, est judicium circa bonitatem vel malitiam alicujus actionis cogitatæ, intentæ vel actu exercitæ.

Facile perspicitur, conscientiam, cum sit quædam promulgatio legis divinæ et ipsius applicatio in subjecto operante, essentialiter indiguisse cognitione ipsius legis, libera acceptione in voluntate et libera executione per activitatem. Nec sufficit cognitio sensitiva, sed omnino eget homo responsabili cognitione intellectuali cum psychologica reflexione; neque automatismus cerebralis vel nerveus potest actum voluntarium constituere: voluntarium est id quod procedit a voluntate, vel immediate prouti sunt actus *eliciti*, vel mediate, uti actus *imperati*. Voluntas movetur ad bonum, ad finem. Quemadmodum appetitus sensitivus essentialiter secum fert veram propensionem erga bonum sensibile; ita ut appetitus ex se ferat initium motus; ita etiam, voluntas utpote appetitus rationalis, suapte natura, quamdam fert propensionem seu principium initiale motus erga objectum.

Præfata doctrina præstantissime inservit ad distinguendos actus *prævoluntarios* ab actibus proprie et stricte *voluntariis*.

Circa actus elicitos seu internos, sequentem instituere possumus quæstionem: Possunt effici actus eliciti a voluntate, quin huic præcedat representatio mentalis objecti et motus ipsius? Nos non possumus actum voluntarium concipere omnino passivum, penitus inertem. Actus internus voluntatis non datur absque præsentia motricis representationis. Actus internus voluntatis secum fert semper principium initiale motus erga objectum.

Hanc teoriam multipliciter in decursu hujus operis, quæstionibus moralibus accommodabimus, præsertim pathologicis.

His omnibus præmissis, aperte liquet status in quo manet conscientia moralis moribundi, videlicet: cerebrum graviter læsum in encephalopatiis; centra nervea a plurimis organicis infirmitatibus offensa; psychismus superior summe confusus propter exaggerationes ideativas et affectivas; voluntas notabiliter imminuta ob magnam centrorum psychomotricium debilitationem seu extenuationem; quid superest? quæ elementa manent sive in corpore sive in animo seu in composito ad distinctam conscientiæ efformationem?

Teste ergo ratione, et principiis physiologiæ pathologicæ innita, licet asserere moribundum in ejus periodo præagonica, pluribus in casibus, minime esse responsabilem actuum suorum, et ad summum dantur aliqui actus moraliter valde attenuati. Fatemur tamen dari casus extraordinarios in quibus infirmus summa luciditate potitur, juxta specialem naturam infirmitatis; sed hoc minime ut lex generalis instituendum est.

Objectio exurgit non contemnenda ex præfata doctrina, scilicet: Quid sustinendum ergo circa liberum arbitrium moribundi, ut responsabilis evadat hic bonorum vel malorum operum? Quod meritum habent in ordine ad salvationem vel perditionem æternam, actus illi in suprema colluctatione vitam inter et mortem exerciti?

Ex principiis theologiæ christianæ, sequentem tentabimus solutionem.

1° In periodo præagonica, exercitium ordinarium humanæ libertatis notabiliter diminuitur, non vero absolutam eclipsim patitur, excepto casu delirii vel absolutæ paralizationis facultatum intellectualium.

2° Destructio ædificii materialis, seu instrumenti functionum ordinariarum spiritus, longissime abest a tota humanæ personæ anullatione vel anihilatione: *non omnis moriar*, inquit poeta, *multaque pars mei vitabit libitinam* (Q. Hor. Carm., lib. III); sed e contrario, mors perfectam liberationem spiritus e jugo materiæ repræsentat.

3° Miris sed veris modis, Deus personaliter multipliciter

potest et mediantibus Sacramentis *revera operatur* in anima spirituali ab exercitio libertatis privata. Exemplum habes in Baptismo puerorum antequam ad ætatem discretionis perveniant. Ejusdem naturæ sunt sacramenta Eucharistiæ et Extremæunctionis, quæ operantur in anima infirmi, etiam ab exercitio libertatis privati. Quoad Sacramentum Pœnitentiæ sufficit voluntas vel dispositio virtualis non retractata ut efficaciter operetur in anima peccatoris.

Conditiones supra expositæ circa validitatem actus humani, attingunt plus negativum, quam positivum spiritus. Itaque aperte scimus non dari transgressionem culpabilem legis moralis absque prævia cognitione ipsius et absque libera voluntate ad eam adimplendam. Gratia autem divina recipitur extra præfatas conditiones, ut docet universa theologia catholica, et tenet in praxi sacramentorum Sancta Mater Ecclesia.

Hucusque pervenit doctrina christiana, quoad statum mentalem et statum moralem moribundi.

CAPUT XIII

DE EPILEPTICORUM RESPONSABILITATE

Non agitur hic de affectionibus proprie epilepticis; sed de impulsionibus aliisque phænomenis, quæ locum habent in homine infirmo extra statum accidentium.

Plures dantur formæ mentalium infirmitatum epilepsiæ associatæ inter quas hallucinationem, melancholiam et impulsionem ad suicidium recordari volumus.

Revera, quæstio de responsabilitate epileptici ob varias ejus complicationes, offert in medicina legali ac in theologia morali pathologica arduum problema resolutu difficile. Sequentia tentabimus ad scopum nostrum maxime perutilia.

Subjectus ordinarie ignorat crises proprii status; ideo nullam habet conscientiam nec responsabilitatem. Agitur itaque de phænomenis præmonitoriis et crisim consequentibus.

Quid generatim accidit ante crisim? Duplex momentum distinguitur cui respondet duplex genus symptomatum: primum attingit morales dispositiones subjecti; alterum intime et absolute ligatur cum accidente epileptico, et stricte traducit seu exterius prodit dispositionem cerebralis regionis ex qua oritur crisis epileptica.

Modificationes morales crisi præcedentes sunt præsertim tristitia, irascibilitas, minae, etc. Quævis contrarietas, etiam minima, præbet occasionem disceptandi et alacriter rixandi. Interdum absque ulla provocatione aggrediuntur et dire offendunt cæteros sive comites, sive amicos, sive domesticos. Clinici nuncuparunt hocce præmonitorium *auram epilepticam*.

Hæc aura quæ clare apparet in sensibilitate tum externa

(hallucinationibus) tum interna, in affectionibus, in intellectu et in pluribus activitatis manifestationibus, revera est producta a stimulo cerebrali mechanice operante, teste investigatione anatomopathologica, quemadmodum operatur electrica excitatio a physiologo directa.

Re quidem vera, crises pathologicæ, crebro iteratæ quamdam degenerationem in centris nervosis et relaxationem in fibris producunt. Unde indulgenter judicandi sunt actus post accessus epilepticos effecti. Inter delicta ab ægrotis perpetrata facile invenies, lector amabilis, actus impulsivos, homicidia, ideas satisfactionis exaggeratas, conatus sexuales, etc. (1)

Ex historia epilepsiæ liquet, morbum hunc non continuo, sed periodis et paraxismis per certa tempora revertentibus affligere. Sæpeque fit ut inminentem paraxismum quædam phænomena præveniant, non raro autem et ipse nullo præcedente inditio, repente ingruat. In corporibus ergo ad epilepsiam dispositis mali accessionem præsagiunt oculorum hebetudines, vertigines, corporis gravitas, aurium sonitus, in iram proclivitas, animi angor, linguæ incontinentia, somnus turbatus, penis tentigo et alia. Hæc fere semper antecedunt epilepticum insultum; quamvis hystericis fœminis, virisque hypocondriacis ea accidentia pluries superveniunt sine epilepsia, etsi ad ea sint paratissimi.

Mentales epilepticorum perturbationes, quum ad paraxismum evehuntur, plurimas secum ferunt complicationes sive organicas sive psychicas, quæ maximam prædispositionem intermittunt.

Ex dictis liquet gradus *responsabilitatis* in epilepticis, semper proporcionatus ad gradum intelligentiæ et voluntatis. Perturbationes conscientiæ in his infirmis non semper eodem modo sese offerunt; comprehenduntur, enim, a simplici obnubilatione usque ad delirium vel coma profundius.

Facta clinica non iisdem mensurantur regulis, nam quandoque sunt omnino irresponsabilia per longum tempus, ali-

(1) Consule circa hanc quæstionem: Ch. Féré, *Les Epilepsies et les Epileptiques*, Paris, 1890. — J. Falret, *De l'état mental des épileptiques*. (Arch. gén. de méd., 1860)

quando vero per brevem periodum. Necesse est judicare facta secundum eorum productionem, durationem atque intensitatem.

Libenter assensum præbemus huic Tanquerey sententiæ: «Jam vero inter epilepticos, alii sunt, qui nihil moraliter mali peragunt; alii vero qui ad aliquid inhonesti vehementer impelluntur, v. g. ad iujurias aliis inferendas, ad furandum, ad blasphemandum, ad turpiter loquendum vel agendum, quim ullam horum omnium memoriam retineant, Quo casu liberi non sunt; nec eis imputari possunt delicta sic patrata, dummodo non sint voluntaria *in causa*.»

Therapeutica. Epilepsia orta ex traumatismo vitari debet juxta vim causæ producentis. Epilepsia constitutionalis vel ex pravis habitudinibus orta tractari debet mediis respectivo morbo appropriatis; ex. gr. anemia et scrophulismus uno modo, onanismus ut pravus habitus aliter. Cætera medicamenta sub basi bromuri; idem, hydrotherapia, belladona, etc., summa cum cautione vel prudencia sumenda sunt (1).

(1) Consule Zilgien, *Précis de thérapeutique clinique et de pharmacologie*, Paris, 1914.

Fig. 12

Cerebrum fœtus humani mense quinto a conceptione

(Mihalkowicz)

Fig. 13

Cerebrum fœtus humani mense octavo a conceptione

(Mihalkowicz)

Fig. 14

Cerebrum humanum modo normali evolutum: facies convexa

(Testut)

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

LIBER SECUNDUS

DE PERTURBATIONIBUS IDEATIVIS

CAPUT I

DE STATIBUS INSUFFICIENTIÆ PSYCHOLOGICÆ

In clinica mentali æque ac in theologia morali pathologica, gravissimum tribuitur pondus actui, vi cujus, determinantur gradus responsabilitatis ad quos pervenire possunt victimæ, quæ ob quamcumque causam naturam rationalem insufficientem reddunt vel exercitium liberæ voluntatis impediunt.

Ut ordine et methodo procederemus sequentes instituimus paragraphos.

I. **Insufficientia mentalis rachitismi causa.** Nomine rachitismi intelligitur insufficientia vel alteratio ossificationis, qua diminuitur ossium nuda compages, tum quoad soliditatem tum quoad relationes functionales vegetativas, sensitivas et mentales. Communiter æstimatur veluti infirmitas, quæ proprie evolvitur tempore infantiæ cognosciturque ob perturbationem nutritionis, ob defectum in textilibus ac in centris dynamicis, præsertim illis quæ ad ossium efformationem concursum præstant.

In prima periodo, ossa quamdam transfusionem sanguinis nigri accipiunt, exteriusque produnt cum percutiuntur. In eadem periodo rarefactionis, ossa formam et directionem normalem servant, etsi minori consistentia et majori elasticitate. In altera periodo deformatur et in organum conci-

natur materia effusa, et valde exaggerantur deffectus ossium. In tertia periodo solidantur et reficiuntur ossa; si vero hujusmodi solidatio et reparatio locum non habent, tunc incipit consumptio rachitica, vi cujus ossa nullam reconstitutionem acquirunt, sed manent spongiosa et debilia seu porosa et inconsistentia.

Quoad *ætiologiam* in varias opiniones dispescuntur auctores. Quatuor potissime teoriæ numerantur. 1ª Rachitismus originem ducit exclusive a treponemate syphilitico. 2ª Rachitismus est perturbatio trofica ossium, quæ ex systemate nerveo centrali pendet. 3ª Rachitismus producitur occasione insufficientis alimentationis ac proinde assimilationis. 4ª Rachitismus per nocuam alimentationem et per actionem toxicam elementorum in tubo digestivo efformatorum venit.

Nos vero, procul dubio autumamus, non unam tantum causam agnoscere rachitismum, sed juxta prædispositionem organicam in ejus productione tum infectionem, tum intoxicationem, tum insufficientem nutritionem influere posse.

Symptomata. Non in omnibus dantur eadem symptomata rachitismum accusantia, pendent enim ex natura elementorum a quibus provocantur et causarum a quibus producuntur.

Exterius manifestatur hæc infirmitas plerumque per miserrimam constitutionem physiologicam et anatomicam atque per alias causas ejusdem generis; nempe qui atrepsiam seu profundam abjectionem organicam, irregularitatem, etc., patiuntur hi rachitici nominantur.

Psychice inspecti, rachitici æque ac scrofulis laborantes sunt veluti inertes, tristes, etc., teste Fere. «Rachitismus, ait Comby, in quibusdam subjectis ostenditur per characteris modificationem, tristitiam, absolutam indifferentiam ad exteriora, etc. Puer, olim lætus et activus redditur tristis, iners ac meditabundus. Intellectus ejus obnubilationem quamvis transitoriam patitur.»

Trousseau vero contrarium exponit judicium quoad intelligentiam rachiticorum, adeo ut ipsis concedat precociorem cæteris pueris intelligentiam. Sed immerito, nam assensum

præbere nequimus assertioni, massa cephalica aperte pugnanti, necnon defectibus organicis relationem plus minusve directam cum nerveis centris servantibus.

Aliqua a nobis ipsis notata sunt in nonnullis asylis quæ ansam præbent ad sequentes instituendas propositiones de *statu mentali et morali*.

I. Generatim rachiticus profunde in proprio cerebro paupertatem physiologicam, cœterarumque organismi partium patitur.

II. Sensibilitas generalis æque ac specialis uniuscujusque sensus, minime gaudet facultate et conditionibus imagines affigendi cum intensitate et attentione quibus utitur puer normalis. Sensibilitas incompleta atque insufficiens apparet.

III. Intellectus haud concipit cum claritate et difficiliter efformatur conscientia vera suarum actionum. Afferuntur tamen casus speciales in quibus splendescet extraordinaria penetratio intellectualis.

IV. Voluntas experitur gravem perturbationem a perturbatione somatica et psychomotrici productam. Ideo, responsabilitas rachitici graviter attenuatur juxta gradus læsionis vel offensionis organicæ.

II. **De psychopathologia in aliquibus formis insufficientiæ mentalis**. Apud pedagogos distinguuntur *retardati*, *anormales*, *idiotæ* atque *imbecilles*. Moraliter vero inspecti, sufficit distinctionem graduum admittere.

Retardati (hisp. *atrasado*; fran. *arriéré*) sunt illi qui, licet fruantur cunctis intellectualibus facultatibus, tamen insufficientem earum evolutionem habent. Morosi apparent in comprehensione, difficiles in expressione, confusi in ideis et in conscientia, debiles in attentione, lenti in memoria et in cunctis eorum intellectualibus manifestationibus. Paucis dicam: status eorum mentalis summam idearum paupertatem accusat, parvam quantitatem determinationum et limitatam vitæ spiritualis expressionem significat.

Aliqui vehementius sentiunt, quamvis absque educatione et alieni ab omni urbanitatis genere. Alii sunt cholerici, violenti et seditiosi.

Clinice inspecti profecto distinguuntur typus imbecillis, ineducabilis, a typo retardato, qui susceptibilis censetur progressivæ evolutionis ob specialem educationem.

In hocce subjecto, *attentio*, est valde debilis, ut testatur multoties ipsa facies retardati. Attentio maximam vim spiritualem suponit, quæ impossibilis redditur in exercitio mentali prædicti subjecti.

Imaginatio, quæ in aliis constituit verum et potens auxiliare vitæ mentalis, in retardatis est sæpe pauperrima, absque expressione et vita. *Ideatio*, quæ super fundamentum imaginum quiescit; *voluntas*, quæ directionem ab ideis præsignatam sequitur; *affectivitas*, quæ intra circulum imaginum emotionumque distenditur, sunt, in retardatis, phænomena magis minusve difficilia.

Patet quod responsabilitas valde attenuatur et interdum amittitur cum agatur de gravi insufficientia.

III. **Psychopathologia ignari atque imbecillis**. Agimus non de absolute imbecilli et penitus indocto, sed de iis, qui perfectibiles censentur in ordine mentali et in ordine morali.

«Ignarus (idiota) juxta Pinel est ille qui amittit plus minusve tum operationes intellectus tum functiones cordis.» Teste Esquirol, hujus «status particularis in duratione facultates intellectuales insufficienter distenduntur.» In quodam congressu medicorum germanorum, anno 1881, hanc sanxerunt definitionem: «Vocantur idiotæ omnes illi psychopatæ qui vel in parte vel in toto privantur intelligentia seu ratione a prima sua ætate vel infantia.»

Status mentalis idiotae et imbecillis dignoscitur per quædam symptomata inconfundibilia. Idiotæ nullam servant comitatem in cibo seu in mensa; pauperrimam habent sensibilitatem, valde immo et summe deficientem statum psychicum. Difficillime discunt doctrinam et exprimunt veritates; inepti ad conceptus efformandos inveniuntur; in eis locum habent tantum impressiones sensitivæ atque imagines cum cœteris affectionibus inferioris ordinis. Et quidem, mirum non est, nam in eorum cerebro imago tantum et materia operantur.



Fig. 15

Cerebrum humanum modo normali evolutum: facies inferior seu basis

(Testut)



Fig. 16

Cerebrum horizontali modo sectum, in quo apparent substantia grisacea corticis et substantia alba centri



Fig. 17

SYSTEMA NERVEUM CENTRALE

Encephalum, medulla spinalis et magnus sympaticus. — *a*, caput. — *b*, collum. — *c*, memb. superius. — *d*, pectus. — *e*, abdomen. — *f*, memb. inferius

(Charpy)

In *ordine morali* generatim sunt maxime degenerati, namque pravis instinctis et sensibus seu affectionibus donantur. Intemperantia, impulsiones venereæ, onanismus, pigritia, infantilismus, ira, et alia hujusmodi in eis determinantur.

Responsabilitas, igitur, illorum est minima vel nulla, juxta intensitatem cognitionis actuum et legis in ipsis perspectæ. Memineat confessarius graviorum naturæ instinctuum ab hereditate acquisitorum penes quos sunt maximæ inordinationes et sensus incontinentia.

IV. **De consequentibus psychopaticis ex debilitate mentali ortis.** Duplex distingui oportet debilitas, *congenita*, nempe, et *acquissita*. Postrema pendet ex traumatismis et aliis infirmitatibus postea tractandis. Agimus in præsente de debilitate congenita, quæ plerumque confunditur cum incompleta evolutione intelligentiæ.

Prænotandum quoque est, hujusmodi debilitatem haud referri ad typum unicum eosdem characteres afferentem, sed spectare ad plures formas et gradus, quos in subjectis infirmis reperimus.

Major pars alterationum mentalium congenitarum plurimum pendent ex anomaliis constitutionalibus hereditariis, vel ex agentibus noxiis in germen biogenum operantibus. Plerumque factores psychicæ debilitatis veram imbecillitatem producunt, quamvis generatim revera ab ipsa discriminetur.

Debilitas mentalis infantilis—inquit Dr. Brinsvanger,—agnoscit veluti causam, gravem alterationem nervei et psychici systematis, ut patet ex facto clinico, quo a prima ætate apparent characteres proprii diatesis spasmophilicæ, tetaniæ, eclampsiæ, necnon formæ nonnullæ laringospasmi.

Symptomata. Debiles profecto dignoscuntur in eo quod, suos condiscipulos insequi non possunt; veritates, magna cum difficultate et adhuc imperfectissime adipiscuntur, cito earum obliviscuntur et persæpe nullam atentionem judiciis adhibere queunt. Hæc omnia notabilem accusant inferioritatem intellectualem.

Debiles facile agnoscuntur, primo in facie sua parum intelligenti, in signis physicis, præsertim craniophacialibus. Conversatio illorum infantilismum redolet et nulla vel exigua datur in eis facultas judicandi de factis vel de doctrinis. Hujusmodi inconscientia paulatim ad imitationem servilem comitum, sive sint hi morum pravorum sive acceptabilium, conducit.

Perceptio clara ac distincta cujusvis objecti fit impossibilis, nisi notabilis attentio in spiritu supponatur. Similiter absque attentione pauperrima efficitur vita mentalis in omnibus ejus manifestationibus, tum memoriæ, tum conscientiæ, tum voluntatis.

Patet nihilominus, non eamdem esse indiscriminatim in omnibus debilibus distractionem neque erga eadem objecta, nam dum aliquis nullo modo adipiscetur scientiam et artem determinatam, idem summa facilitate erit in possessione alterius scientiæ vel artis, quamvis revera in operibus ejus animadvertatur defectus seu precaria conditio intellectus.

Status mentalis debilium. Lobsien sequentes formulavit conclusiones circa debilium memoriam: 1ª Quoad amplitudinem dispositionum functionalium, memoria profecto est minor in his subjectis, quam in discipulis normalibus ejusdem ætatis; 2ª Debiles mentales quamdam securitatem possident ad immediatam reproductionem et ordinationem representationum mechanicarum; sed difficilis ipsis redditur activitas combinatoria vel processus discursivus intellectus. Desunt iisdem verba quibus conceptus exprimantur.

In sensibus et animi affectionibus quædam anomaliæ reperiuntur quæ, procul dubio, ob insufficientiam psychologicam, superficialitatem idearum et voluntatis indeterminationem producunt. Plerumque inconsistentia seu variabilitas emotionum et animi affectionum, directam proportionem seu rationem servant cum inestabilitate spirituali mentis.

Teste psychologia experimentali, insufficientia imaginum seu sensibilium repræsentationum gradatim producit insufficientiam sensuum seu animi affectionum; parvitas idearum secum fert perturbationem confusionemque in mentalibus



Fig. 18

CORTEX CEREBELLI. — *A*, zona molecularis. *B*, granulosa. — *C*, medullaris



Fig. 19

RIPLEX THEORIA CIRCA COMMUNICATIONEM NEURONARUM.—*A*, *theoria reticularis erlach:* retis proveniens ex anastomosi dendritarum omnium cellularum nervearum. — *B*, theoria Golgi. — *C*, theoria Cajal. — *S*, fibræ radicum posteriorum. — *S'*, cellulæ ganglii rachidii. — *M*, fibræ radicum anteriorum. Existit tantum *articulatio* inter ramificationes neuronæ sensitivæ et dendritas neuronæ motricis

functionibus; ubertas, denique, imaginum atque idearum, servato ordine et moderamine finis et dignitatis, vitam mentalem gignit et quodam modo explet.

V. **De defectibus in associatione idearum.** Forte inter psychologicas quæstiones, illa quæ agit de idearum associatione est pluribus aliis præstantior atque utilior; absque illa enim intellectus humanus caret ratiocinandi seu judicandi facultate. Processus ideativi connectuntur cum quibusdam organismi statibus, seu melius, intimam servant relationem cum centrorum connexionibus in cerebro existentibus.

Triplicis generis est præsertim associatio: associatio *similitudinis;* associatio *partis ad totum,* et associatio *ob contigüitatem.*

Cœteris opinionibus prætermissis, nos sequentem confícere seu formulare intendimus teoriam.

Quævis imago et quælibet idea aliquam repræsentationem secum ferunt, quæ duplici elemento constant, physiologico, nempe, et psychologico. Unusquisque nervorum locum, functionem et terminum proprium in cerebro habet. Hos actus vitæ sensitivæ comitatur vibratio quædam cellularum ibi infixa, quæ iterum repetitur cum sensatio vel idea determinata vel intime associata renovatur in respectivo ordine sensationum. Clarius; in præsentia alicujus objecti, qui in ordine sensitivo phænomenum provocavit et in ordine intellectuali occasionem et materiam ideis præbuit, sensatio atque idea eamdem producunt vibrationem neuronarum ac in prima vibratione seu motu cellularum. Hujusmodi teoria hac innititur lege psychologica: «Omne phænomenon psychologicum tendit ad reviviscenda phænomena quibus alias unitum fuit.» «Quodcumque phænomenon olim conscientiæ præsens, potest iterum repræsentari; seu, conscientia nihil amittit ex eo quod ipsi insitum fuit.»

Repræsentatio ergo, seu imago, secum fert quamdam vibrationem, ut affirmationem facti physiologici. Datur in cerebro nexus interneuronalis vi cujus difunditur motus seu vibratio cellularum, quem provocant stimuli externi vel interni. Quoties producitur vel provocatur motus in deter-

minato cellularum cumulo alicui sensationi obnoxius, juxta vim vel intensitatem stimuli, difunditur sensatio et alias sensationes primæ contiguæ reviviscunt.

Grato animo accepta fuit hujusmodi doctrina contigüitatis, quoniam juxta parallelismi psychophysici principium, status conscientiæ comitantur motus physici cerebrales. Gravitas et pondus vibrationis pendet ex intensitate, duratione ac frequentia stimuli ut perfacile comperitur.

Status pathologici. Exaggeratio stimuli usque ad reflexum, constituit statum pathologicum; reductio stimuli ad debilem vel insufficientem interventionem dirimit communicationem neuronarum; maxime si actio agentis in subjecto est nulla.

Associatio, igitur, deficit sive per excessum sive per defectum.

Cœteræ associationum perturbationes sunt, ut liquet ex prælibatis, incohœrentia imaginum atque idearum, desunt enim coordinationes sensationum et fit interruptio neuronarum; reperitur quoque inconsequentia, propter defectum principiorum et legum ratiocinii; confusio, quia impossibilis redditur conceptus distinctus omnibus vel saltem præcipuis characteribus ornatus.

Unde *status moralis responsabilitatis* in hujusmodi infirmis omnino patet; nam est nulla in casibus extremis, attenuata vero in cæteris.

VI. **Traumatismi craneales**. Traumatismus late sumptus, teste Cardenal in opere infra citato, est interruptio continuitatis textilium tum superficialium tum profundorum corporis organici, quavis actione mechanica producta.

Læsiones craneales juxta recentiorem chirurgiam his duobus generibus comprehenduntur: læsiones traumaticæ *clausæ* ut sunt quæ continentur in pelle; et læsiones traumaticæ *apertæ*, seu cum interruptione (seu solutione) continuitatis in pelle. Ad primas spectat contusio; ad secundas vero attinent vulnus atque fractura.

Traumatismi craneales in tria dividuntur elementa: *contusionem, vulnus* et *commotionem*, quæ omnia nerveum sy-



Fig. 20

Chromatolysis cellularum ob commotionem cerebri et medullæ



Fig. 21

Cellula radicularis graviter degenerata propter psychosim polyneuriticam

stema perturbant ut cito videbimus. Quærendum in primis de contusione et de nerveis centris.

Nomine *contusionis* venit atrictio textilium collisionem vel violentiorem pressionem insequuta. In contusione læditur substantia nervea ut fatentur universi auctores. Contusio cephalica gravior efficitur propter ejus connexionem cum centris nerveis; unde mirum non est si subjectus cognitionem amittat et lente respiret. Plerumque præexistentem infirmitatem contusio determinat vel novam producit. Primo accidit potissimum in neoplasmatibus, in tuberculosis atque in plurimis visceralibus affectionibus; ex. gr. in syphilitico ex contusione determinatur seu exorditur gumma vel periostosis.

Vulnera eatenus sunt gravioris momenti, quatenus facilius ad ea accedunt aer, pulvis admosphericus et inde microorganismi; non qua aer purus, sed quatenus noxios agentes continens vitandus est. Nemo nescit gasses atmosphericos haud nocere vulneribus, nam nitrogenus vel azoe proprietatem habet dolorem mitigandi; acidus carbonicus in statu ejus puro favet processui cicatriciali in vulneribus antiquis; purus oxygenus sæpe vulnera leviter irritat, sed ullo modo veram inflammationem producit. Aer purus, ergo, minime textilia læsa offendit.

Gravitas psychopathologica vulnerum, revera pendet ex læsa regione. Si hæc locum habet in lobulis præfrontalibus, vel fibras projectionis et associationis attingit, majores vel minores perturbationes in intellectualibus facultatibus producet.

«*Commotio cerebralis* est excussio mechanica textilium et organorum a violenta collisione producta, absque vulnere neque exteriori alteratione.» (Grasset.)

Anatomice nulla datur læsio perceptibilis seu macroscopica, sed dumtaxat microscopica in regione corticis, ex quibus exordiri queunt læsiones inflammatoriæ chronicæ cum gravi pronostico.

Mechanismus cerebralis commotionis easdem habet rationes ac teoria contusionis.

Perturbationes mentales traumatismos craneales insequentes. — Sæpissime in infirmis quos auctores adducunt, præ-

sertim Kraepelin, æstimatæ fuerunt gravissimæ perturbationes in eorum psychismo, confusio conscientiæ, intelligentiæ perturbatio, memoriæ amissio et nervosismus quidam inconscienter evolutus. Ob læsionem gravem partis dexteræ regionis frontalis, opifex quidam hemorragiam in cavitate craneali passus est, amissione conscientiæ comitatam nec non determinatis anomaliis ordinis mentalis, moralis et sensus communis, quibus aperte significatur profunda regressio psychica atque mentalis insufficientia.

Traumatismi craneales, procul dubio, determinare queunt intensam emotionem psychicam et provocare quoque valent phænomena, illis in hysteria traumatica observatis similia.

Substantiæ cerebralis alterationes ob traumatismum variæ ac diversæ numerantur, ita ut impossibile sit typum clinicum unicum ad omnes et in omnibus casibus statuere.

Quoad pronosticum, nihil sane statuendum licet, modo absoluto, nam tum confusio psychica tum organica alteratio plerumque insequuntur agentes graviter vel leviter operantes.

VII. **De insufficientia morali.** Illi homines quos Lombroso appellat dementes morales et criminosos natos non sunt dementes nec fataliter facinorosi sed tantum anormales in ordine morali, insufficientes morales. Apud Mairet et Enziere, in quodam recenti opere legimus eos appellari «invalidatos morales». Tantum in eis animadvertitur quædam mora seu retardatio in explicatione vel incremento mentali atque etiam morali. In his datur atrophia moralis, perversio moralis, inversio moralis, inaestabilitas moralis.

Atrophia moralis. In quibusdam subjectis est gradus proximus imbecillitati mentali. Hi homines apti sunt ad legendum et scribendum sed non possunt nec scribere nec legere correcte. Etiam decem et octo annis nati non sunt superiores pueris parvæ ætatis. Moraliter conscientia accusat crimina quum patrantur, sed demissa voce. Voluntas fere nulla est. Atrophia moralis secum fert nimiam tarditatem in explicatione intelligentiæ et hoc modo ægrotus fit debilis intellectualis; retardatio, vero, in explicatione conscientiæ causa est subjecto ut sit imbecillis moralis.

Responsabilitas moralis respondet statui mentali. Quum datur absoluta imbecillitas, in qua nec intelligentia est, nec voluntas, nec sensus moralis in conscientia, tunc responsabilitas nulla habetur. Quum vero tantum animadvertitur retardatio in explicatione facultatum et sensus moralis, ut sæpe accidit, tunc responsabilitas est valde attenuata.

Perversio moralis distinguitur per specialem impulsionem ad facinus patrandum, quod aliquando ab hereditate degenerativa pendet, sæpe vero a vitiis propriis. In utroque casu intellectus imbecillis est.

Si homo ab initio affectus hoc morbo quædam symptomata habet impulsiva et aliquid patrat sub influxu sensibilitatis et inconscienter, responsabilitas hujus nulla est. Quum vero hæc degeneratio voluntarie accipitur, responsabilitas est eadem ac illa quæ denuntiatur *de voluntario in causa.* Jam, si obnubilatio conscientiæ et atrophia sensus moralis ac libertas voluntatis tantum relative valent, ut sæpe fit, tunc responsabilitas est attenuata.

Hoc idem dicendum est de *inversione morali* et de inaestabilitate morali. Prima eosdem characteres habet ac perversio. Tamen aliquas differentias admittit, et gravior fit quum prona est ad malum. Inversio moralis, innata vel adquisita accusat attenuationem reflexam debilem, fantasiam exaltatam et inordinatam, conscientiam minus firmem, amorem sui ipsius impudentem, appetitus exaggeratos, voluntatem potentem ad implendas voluptates sed imbecillem ad resistendas tentationes. Dicitur homo qui laborat inversionis morbo esse inœducabilis atque antisocialis, et magnas difficultates offerre correctioni. Nos vero judicamus omnes fere anormales susceptibiles fore educationi, dum aliæ formæ atrophiæ moralis non appareant. Hodierno tempore quum psychiatria tam magnos progressus faciat licet asserere anormales dignos *assylo,* incurabiles scilicet, paucos esse. Quare in his ægrotis responsabilitas judicanda est in singulis casibus particularibus.

Inæstabilitas moralis est magis vitium functionale quam constitutionale. Fere semper est efectus cujusdam rapidæ successionis idearum, imaginum, etc., in subjecto debili qui

non habet habitus morales. Homo instabilis est idem oc abulicus, sed sæpe abulicus culpabilis, nam educationem voluntatis negligit. Quandoque dantur casus instabilitatis moralis graviter pathologicæ, sed ægroti accusant fere semper alia symptomata alienationis mentalis, et in hoc casu eorum responsabilitas est eadem ac illa alienatorum.



Fig. 22

CELLULÆ NEUROGLICÆ EX SUBSTANTIA GRISEA CEREBRI ADULTI DESUMPTÆ. — *A*, corpuscula independentia. — *B*, cellula cum pediculo vasculari. — *C*, cellula perivascularis. — *V*, vas



Fig. 23

SCHEMA MOTUS INCITATIONUM MOTRICIUM VOLUNTARIARUM ET SENSITIVARUM CONSCIENTIUM. — *A*, regio psychomotrix corticis cerebralis. — *B*, medulla spinalis. — *C*, fibræ musculares. — *D*, ganglion spinale



Fig. 24

PHILOGENIA ET ONTOGENIA PYRAMIDIS CEREBRALIS. — *A*, cellula pyramidalis ranæ. — *B*, reptilis. — *C*, muris. — *D*, hominis. — *a*, neuroblastus. — *b*, fasis bipolaris. — *c*, pyramis cum crista pennata. — *d*, pyramis cum dendrita basilari. — *e*, pyramis cum collateralibus nervosis et ramis



Fig. 25

NEURONA. — *A*, prolongatio cylindraxilis (axon). — *B*, corpus cellulæ cum prolongationibus protoplasmaticis (dendritæ) *(Klein)*

CAPUT II

DE LIMITIBUS IRRITABILITATIS ORGANICÆ IN PROCESSIBUS CONSCIENTIÆ MORALIS

Ratio fere omnium nervearum commotionum quas in vita experimur, præcipue in sequentibus elementis invenitur: in irritabilitate cellulari, in fibris quibus cellulæ vim transferunt, in statu chemico cellularum atque in diversis stimulis sive naturalibus sive artificialibus.

Irritabilitas cellularis, teste Cajal, in eo sita est, quod «omnis cellula vivens agit sub provocatione exterioris stimuli». Irritabilitas ostenditur per motum; hic vero indiget energia latente intra elementa organica. Energia cellularis est præ physica dignior ac subtilior.

Irritatio exaggerata indefectibiliter statum pathologicum provocat, ait Landois, quem perspicimus in organis, visceribus vel centris affectis.

Conditiones ut irritatio producatur sunt: præsentia cellulæ morphologice et chemice integræ et actio stimuli seu excitantis. Activitas cellulæ haud agit nisi excitetur sive a molecula materiali sive a vi psychica. Quo modo, vero ostenditur et transmittitur energia vi irritationis in cellula coacervata?

Transmissores energiæ. «Tota neuronæ physiologia,—inquit Grasset,—his verbis exprimitur: neurona recipit exteriorem energiam, eam coacervat, elaborat, transformat atque exterius emittit.»

Ex cellulis nerveis originem trahunt quædam protractiones cylindricæ et diversimodo dispartitæ, quæ disjunguntur e protoplasmate cellulari in loca *polos* vocata. Neu-

rona constituitur, modo indivisibili, ex corpusculo cellulari, ex fibris et protractionibus protoplasmaticis ipsius. Animadvertendum est, systema nerveum centrale esse compositum quoddam neuronarum; et insuper, corpus cellulare, teste Grasset, non simplicem conductorem esse, sed continere quamdam neurofibrillarum retem et locum coacervationis, elaborationis et transformationis energiæ constituere. Fluxus nerveus transit per hujusmodi protractiones.

Hucusque egimus de neuronis interclusis; neuronam vero, non solam, sed associatam medicatur, idcirco, illi studeri debet, habita ratione cum communicationibus interneuronalibus.

Triplex sphœra in neuronis associatis distingui potest: *inferior* (periferica), *intermedia* (nexus) et *superior* (corticalis). Prima constat neuronis *receptionis* et *emissionis* (sensitivis et motricibus); secunda complectitur neuronas *nexus* et tertia continet neuronas *perceptionis* vel *psychismi* nuncupatas; corpora eorum cellularia substantiam griseæ corticis cerebralis efformant.

Status chemicus. Nervorum excitabilitas normalitati elementorum chemicorum submittitur. Inter alia sunt: *temperatura*, nam ejus descensus favet conservationi excitabilitatis nervorum; *status hygrometricus*, siccus aer, majorem enim irritabilitatem ipsi præbet, etsi ephymeram, quam amittit post duodecim minuta; *oxygenus*, qui probabiliter inservit ad conservationem excitabilitatis nervorum; *substantiæ chemicæ*, ut sunt illæ omnes quæ nervi compositionem modificant, ita ut celeriter vi ejus physiologicas proprietates amittant.

Stimuli. Duplicis sunt generis, nempe, *materiales spiritualesque*: primi sunt thermici, luminici, electrici, mechanici et chemici. Dantur quoque stimuli physiologici, qui pendent ex constitutione organica, ex impressione, sensatione et ex processu psychophysico. Nervus ducit energiam erga cerebrum, per quam valde nervi excitantur. Perturbationes nutritivæ, degenerationes cellulares et cætera phænomena



Fig. 26. — Cellulæ ex encephalo cuniculi desumptæ cum axone atque dendritis



Fig. 27. — Cellulæ ex encephalo cuniculi desumptæ: regio esfenotemporalis

physiopathologica provocare possunt determinatas irritationes, quibus offenduntur nervea centra.

Stimuli spirituales sunt diversissimæ formæ quemadmodum ideatio et affectivitas, sive normalis sive pathologica, et influunt in provocationem irritationum et excitationum nervearum.

Excitatio organica in statibus passionalibus pervenit usque ad determinismum physiologicum.

Passio est viva commotio sensibilis in homine physico producta imaginationis auxilio. Unde duplici constat elemento, materiali nempe et formali; primum situm est in excitatione seu commotione corporis; secundum in motu appetitus.

Vide ubi de *Passionibus pathologicis.*

CAPUT III

DE SENSATIONE ET CONSCIENTIA

Topographia cerebralis cunctas sensationes locum determinatum habere in cortice cerebri docet. Sunt in ipso regiones *motrices* ex quibus ortum habent viæ quæ musculis voluntariis inserviunt; regiones *sensitivæ* in quibus terminant catenæ neuronales, veluti viæ conductionis inservientes ad sensibilitatem generalem, superficialem et profundam recipiendam; regiones *sensoriales*, quæ sunt loca ubi via visualis, auditiva, et odoratus finiunt et ubi respectivæ imagines efformantur.

Præ oculis habendum est aliud principium, quod veluti fundamentum plurium affirmationum spectatur. Minime confundimus cum Cl. Bernard, irritabilitatem cum sensibilitate, nam irritabilitas est tantum elementum materiale sensationis, quae ut existat, ultra requiritur perceptio irritabilitatis, veluti elementum formale seu psychologicum.

Volumus firmiter tenere, in sensatione existere irritabilitatem; cerebrum magnum energiæ nerveæ cumulum repræsentare, cujus directiones pendent ex stimulorum genere. Constat etiam quantitatem energiæ centralis in actu positæ posse excessum provocare, plus minusve alia centra motora invadentem, et ad nerveas perturbationes ducentem.

His prælibatis et hujusmodi factis physiologicis stabilitis, hæc addere opportunum censemus. Imagines fixæ sensibiles et in determinato situ regionali seu cerebrali locum occupantes, ad talem intensitatis gradum pervenire queunt, ut consulto motum muscularem in respectivo ordine provocent. Ex. gr. In cerebrum imaginem quamcumque con-

jicio ex qua vehementer risum concitatur: eo ipso quod iterum vocatur imago, idem phænomenon producitur, ut frequenter accidit in vita humana. Exercet homo actum sexualem magna cum voluptate: in præsentia complicis potest talem commotionem in cerebro experiri, ut sensatio totum organismum invadat et instinctive actum erectionis et ejaculationis producat.

His in casibus, procul dubio, datur vera sensatio, utpote constans ex irritabilitate organica ab stimulo provocata et perceptione seu advertentia elementum psychologicum constituente. Nullam, tamen, perspicimus in his factis pathologicis, interventionem conscientiæ intellectualis, nam agitur de actibus merere spontaneis, qui vocantur a phisiologis motus reflexi.

Ulterius evolvitur hæc materia in capitibus *de automatismo nerveo, sexuali* et *autoerotismo.*

Ut principium psychologiæ experimentalis normalis et pathologicæ statuitur, hoc: *omnis imago mentalis et omnis animi affectio seu sensus, naturaliter subjiciuntur seu alligantur motibus respectivis*; imo, si motus non perspicitur veluti continuitas imaginis et sensus, est, quia interponitur vis inhibitoria voluntatis, quæ judicio liceitatis vel illiceitatis obediens inhibet motum et vitat actum. Ex. gr. Sum in cujusdam amici bibliotheca: sese mihi offert liber summe opportunus; manus instinctive ad librum capiendum dirigitur; judicium autem practicum mihi præcipit, hic et nunc non licere librum sumere; et ideo, fibras motrices inhibeo et librum in proprio loco dessero. Agitur, e contra, de quodam alienato: imaginatio ipsi imponit lapides in transeuntes conjicere. Quippe quod ipsi deest judicium practicum actionem prohibens, lapidem jacit. Hoc in casu, continuitas motus seu actionis imagini vel sensui alligatæ non impeditur a voluntate.

Hujusmodi exempla abundant in psychopathologia.

Cum imaginem concomitatur intensa emotio, tunc indiget homo majori energia ut actum impediat. Ob hanc rationem, impressionistæ assuefacti ad reflexum imaginis profunda emotione imbutæ, maximam seu majorem præ

cæteris, experiuntur difficultatem ut consequantur actum motus non esse mechanicam continuationem sensus atque impressionis.

Inter alias differentias, profecto, quæ distinguunt mente sanum ab alienato hæc est, nempe, quod excerebratus exterius prodit, quidquid imaginationi occurrit, sive verbo sive opere, quin obstet inoportunitas vel aperta irrationabilitas. Homo normalis, vero, operatur quid honestum et licitum et verba prudentia atque opportuna juxta dictamen practicum rationis loquitur.

Perfacile, igitur, distinguitur sensatio a conscientia; nam, dum illa pertinet dumtaxat ad phænomenon organicum et ad functiones materiales; conscientia voluntatem insuper et libertatem comprehendit.

CAPUT IV

DE PERTURBATIONIBUS ATTENTIONIS

Absque attentione, ut inconfesso habetur apud omnes, est prorsus impossibilis vita mentalis hominis.

Ribot, attentionis infirmitates juxta hunc ordinem divisit, videlicet: primus gradus constituitur a psychastenicis, hystericis, debilibus atque cæteris insufficientibus; secundus eformatur a paralyticis generalibus, amentibus et cretinis; tertius constat ex persequutis, hypochondriacis, maniaticis atque melancholicis; ad quartum referuntur præsertim persequuti proprie dicti, melancholici anxiosi et melancholici confusi.

Dissolutio mentis ob defectum attentionis evidenter constat; nam tunc statim apparent reflexus et automatismus psychologicus.

Attentionis defectus alterationes in memoria provocat, recordationes enim, sunt incohærentes, dissociantur ideæ atque imagines; deficit quoque voluntas et valde relaxatur spiritus in cunctis ejus functionibus, præsertim in voluntate.

Janet, tres abuliæ formas agnoscit: prima est abulia systematica, quæ ad genus determinatum actuum refertur, uti verbum, scripturam, etc.; secunda est abulia periodica vel temporanea, seu in loco quodam sita, vi cujus amittitur motus cujusdam corporis partis; tertia est abulia generalis ad quam spectant universi actus atque cogitationes.

Pluries infirmus maximam mæstitiam patitur et animo deficit.

Absque psychica tensione, tandem, absque conscientia in perceptionibus, absque attentione, vita hominis mentalis

maxime reducitur et misera efficitur. Unde clare perspiciuntur mentales necnon morales perturbationes, quæ sub hac forma clinica congregantur.

Quoad *ordinem moralem* perspicue comprehenditur quod responsabilitas nulla est; nam semper et quando deest actualis vel virtualis attentio, seu sufficiens advertentia circa idearum vel actuum pondus, judicandum prorsus est hominem carere responsabilitate, nisi agatur de habitu voluntarie contracto et non retractato.

En exempla quædam: Agitur de juvene qui rem habuit cum virgine puella. Præ iracundia excandescit pater mulierculæ; summopere exagitatur juvenis ob timorem et verecundiam ita ut, unica ejus repræsentativa imago sit vindicta parentis in ipsum et publicum dedecus contra se illatum. Nihil aliud videt intra exagitatam imaginationem, quam infamiam, vindictam, carnificem, mortem: quosquos videt homines ipsi apparent veluti tortores eumdem persequentes. Patitur, denique, gravem atque pathologicam obsessionem, vi cujus venenum sumit et sui mortem consciscit.

Hoc in casu apparet manifesta attentionis exaggeratio quoad sævam imaginem a qua interdicitur quævis altera reflexio vel idea.

Idem dico de anomaliis et stulte factis ob defectum attentionis in quocumque ordine spectatis. Ancilla venenum domino præbet loco medicinæ ob attentionis defectum; sacerdos missam celebrat seu sanctum sacrificium offert, prorsus distractus, post cibi sumptionem; et cætera hujusmodi.

Attentio est clavis conscientiæ; quum illa defecerit, hæc locum non habet. Dissolutio, igitur, attentionis, secum fert dissolutionem conscientiæ, quæ abs dubio sive ob excessum sive ob defectum evenire potest.

CAPUT V

PATHOLOGIA AUTOSUGGESTIONIS

Late sumpta autosuggestio est quidquid accipitur ab imaginatione et aliquem influxum in hominis directionem et determinationem exercet. Stricte sumpta datur quando absolute imago imperat vel dominatur hominem. Si hujusmodi dominatio irresistibilis efficitur actioni voluntatis, ita ut imago, sensus, stimulus, etc., indeficienter operentur renitente voluntate, tunc *suggestio est stricte pathologica.*

Itaque, dum voluntas sequitur leges logicæ, moralis, prudentiæ, rationis, suggestio est normalis; dum vero actio passionalis, modificatio organica ita violenter sese offerunt, ut omnino visum intellectus obnubilent vel automatice ad actum inducant, his in casibus, suggestio est pathologica et irresponsabiles efficiuntur actus sub ipsa commissi. «Suggestiones, teste Janet, in eorum automatica atque independenti evolutione sunt veri mentis parasiti.»

Autosuggestio pathologica est quædam imago vel idea, quæ sponte in spiritu exurgit, sensu et affectu imbibitur, conscientiam prorsus dominatur et cæteras ideas, imagines necnon affectiones excludit.

Supposito principio, suggestionem esse statum quemdam psychicum in quo voluntas, cæco impetu, in quid determinatum propendit, ab extrinseco vel intrinseco agente ducta, facile perspicitur hujusmodi psychoneurosem agnoscere basim degenerativam in cerebro, unde exordiuntur phænomena pathologica, quæ suggestionem provocant.

Inde crebro sequuntur nonnullæ imagines sensationesque quibusdam motibus seu vibrationibus materialibus

neuronarum associatæ, quibus implicantur functiones nervorum centrorum et plerumque autosuggestiones hallucinatoriæ producuntur; hæ, enim, fere omnino quibusdam pathologicis associationibus obediunt.

Symptomata autosuggestionis, præsertim in physiognomica expressione, sunt absoluta attentio in quid unum exclusive; aliud nec vivit, nec cogitat, nec sentit, quam imago obsidens. Ob ejus cum monomania relationem, facies hujusce infirmi est facies monomaniatici; ipsum comitantur vel excessus tristitiæ, quod sæpe accidit, vel excessus maniaticæ exaltationis. Deest attentio, amittitur voluntas, et sensibilitas sive externa sive interna graves hallucinationes persæpe patitur.

Status mentalis. Veluti absolutum principium statuere volumus, crebro dari autosuggestiones in quodam objectorum, imaginum atque idearum ordine, et tamen, eumdem subjectum perfecta normalitate in cæteris ordinibus gaudere. Itaque perplures vidimus autosuggestionem patientes summa facilitate fruentes quoad industriam, commercium, administrationem et nonnullas functiones sociales, quin tamen, cætera munera moralia vel æconomica agere vel ordiri valeant; obstat, enim, scrupulus seu excessus timoris conscientiæ insiti.

En exemplum: Agitur de puella in rebus domesticis summe instructa; domum suam perfecte administrat; in verbis ipsius nihil anormale nec reprehensibile aprehenditur. Nihilominus, semper universas ejus cogitationes atque actiones veluti realitatem peccati aprehendebat.

Extensius hoc enucleabitur cum agamus *de scrupulis*.

Quidquid cadit omnino sub autosuggestione, graviter influente, omnino caret responsabilitate, nam nullo modo interveniunt potentiæ spirituales, prouti intelligentia, voluntas ac constientia. Quod immediate sequitur statum pathologicum, necessario, ob leges mechanicas continuitatis, per eamdem legem dirigitur. Ideo, dum objectus moralis prorsus ligatus maneat cum statu graviter morbido, vel notabiliter

in actus productionem influat, nulla datur responsabilitas moralis, seu valde attenuata; quum vero objectus moralis voluntatis est sub dominio et distincta conscientiæ directione, tunc actus ab infirmo exercitus, omnino censetur responsabilis.

En quædam exempla: vir quidam, magna superbia inflatus, putat se solum in domo aliquid valere: cœteros omnes arroganter spernit. Idea propiæ exaltationis seu glorificationis maximum sumit incrementum. Verbo et opere honorem aliorum concutit et caritatem graviter lædit. Hoc in casu, autosuggestio est quidem responsabilis, utpote a superbia et vanitate inspirata, imo, est potius actus superbiæ, quam autosuggestionis.

Puella virgo summe pudica autumat se tactibus manualibus peccare, quum nunquam in impudicicias inciderit. Jurat se blasphemias protulisse, quum ipsis maxime abhorreat. Agitur de autosuggestione cum hallucinationibus, idcirco responsabilitate omnino caret, utpote graviter autosuggestionata.

CAPUT VI

DE OBSESSIONIBUS PATHOLOGICIS

In hodiernis clinicæ mentalis studiis magni faciunt auctores quidquid ad obsessiones pathologicas refertur; ipsæ, enim, historia teste, frequentissime eveniunt in natura constitutionaliter infirma.

Natura obsessionis. Obsessio est phænomenon morbidum vi cujus apparent in conscientia involuntarie et summo angore cogitationes, sensus et affectiones parasitæ, quæ absolute vel relative dominantur eam. Juxta Pitres et Regis, imagines obsidentes evolvuntur simul cum conscientia, quin obstet voluntas seu vis in contrarium applicata. Obsessio, teste Spencer, constat, fere semper, elemento intellectuali et elemento emotivo.

Non longe a merito et fundamento sustinemus elementa essentialiter obsessionem constituentia esse *imaginem* atque *emotionem*. *Imaginem*, dico, nam improprie nuncupatur *idea*, quæ cunctos characteres sensitivi ordinis possidet. Nos firmiter tenemus perturbationes ideativas, specifice spectatas, sæpissime obediri alterationibus imaginativis præ cunctis idearum perturbationibus; nam, dum imago permanet immobilis, absque evolutione et ad processum vibratorium neuronarum ligata; idea, e contra, veluti characteres distinctivos habet adaptationem et evolutionem; hæc efformatur in altiori ordine intellectuali et regione præ sensitiva nobiliori. Psychologice sumpta idea essentialiter differt ab imagine.

Symptomata imaginativa. Agitur hic dumtaxat de imagine pathologica, non vero de physiologica. Imago est repræsentatio sensibilis alicujus objecti; cum hujusmodi repræsentatio talem acquirat vim, ut ipsa prorsus dirigat et dominetur psychologicam ægroti vitam, intimam perturbationem provocat sive in psychismo superiori sive in psychismo inferiori. Imago obsidens constituere valet statum perdurabilem conscientiæ. Animadvertendum est, imaginem pathologicam esse involuntariam, prorsus automaticam et multoties irresistibilem.

Obsessio, quamvis sit indefinite variabilis, ad triplicem ordinem reduci valet, *religionis*, scilicet, *moralis* et *conservationis*.

Idea obsidens fere semper, mechanice ab idea matre derivatur. Eluctatio adversus obsessionem, emotivitatem anxietatemque pathologicam auget, nam majorem invenit resistentiam in imagine fixa. Itaque, plures dantur homines, qui, loco actum amoris vel reverentiæ, actum odii ac blasphemiæ pronuntiant sive in mente sive ore. Universæ anxietates, quæ in personis scrupulosis ad conscientiam attinent, in genere, a pathologica obsessione producuntur.

Homo quidam honorabilis credit se cœlestem inspirationem accepisse, vi cujus suicidium perpetrare debere. Die præsignato, sacram synaxim accipit, summo fervore orat, fervidum consecrationis actum ad Deum dirigit et nefastum propositum exequitur.

Quædam erat puella summe casta anima et corpore, quæ obsessionem turpium actuum patiebatur. In sacræ communionis actu ipsi sese offerunt abominabiles profanationes sive ex parte sacerdotis sive ex parte hostiæ sacræ. In actu confessionis, quodvis confessarii verbum autumat esse sollicitationem; in familiaribus conversationibus credit se in omnibus proximum offendere.

Quævis imago, ita potens, ut ad actum seu executionem irresistibiliter impellat, est pathologica, ideoque irresponsabilis in actibus ab ipsa provocatis. Opportunum addere puto, obsessionem crebro sequi hallucinationem.

Quoad *symptomata emotiva* difficile determinantur limites status normalis, nam nonnullæ reperiuntur emotiones summæ intensitatis, quæ genus normale haud prætergrediuntur; v. gr. mors patris, filii, ruina æconomica et quævis impressio seu animi affectio. Est pathologica cum causa vel motivum tum leve tum grave usum rationis tollunt, vel sensibilitatem perturbant et emotivitatem absque ullo motivo provocant.

Phobiæ (timores vani) sunt variabiles quemadmodum variabiles sunt subjecti ægroti eas patientes. Quidam irresistibiliter e medio societatis effugiunt; nonnulli præceptum de missa audienda die dominico infringunt, quia graviter, quamvis irrationabiliter, timent omnes transeuntes oculos ad se necessario conversuros, vel ob magnam verecundiam, etc., etc.

Status mentalis. Imagines obsidentes, vel notabiliter minuunt, vel omnino aufferunt vim intellectus, sensus ac voluntatis. Obsessio proprie non est infirmitas organica, sed psychica, quamvis alteratio somatica crebro eam comitatur ob maximam animi perturbationem, vel propter hæreditatem, quod frequenter occurrit.

Imago totam hominis vitam irrationabiliter dirigens, ipsi præbet characterem pathologicum; nam hujusmodi imagines ordinarie sunt pueriles, excentricæ, inoportunæ et a sensu communi alienæ. Idem dicito de voluntate ac sensu, uterque enim læditur, ob alterationem sensus et perturbationem voluntatis.

Quoad **moralem respo sabilitatem**, omnino patet et ex præfatis liquet, intellectum in caibus graviter pathologicis obscure concipere sensum legis; voluntatem summa debilitate laborare; sensum moralem valde atrophiari et conscientiam sufficientem obnubilationem pati ad actus efficiendos, sive prorsus irresponsabiles, sive valde attenuatos. Confessarius examen instituat circa imaginis obsidentis naturam, et juxta ejusdem gravitatem cunctas solvat difficultates.

CAPUT VII

DE STATIBUS PASSIONALIBUS PATHOLOGICIS

Quidam constituuntur status passionales in homine, quibus theologi magnam gravitatem in colluctationibus organismi atque conscientiæ moralis concessere.

In unaquaque passione, cum ipsa sit gravis et profunda, sequentes apparent perturbationes: alteratio physica, perturbatio psychica et confusio moralis. Hæc phænomena, quæ dum non sint valde gravia ut anormalia tantum censenda sunt; tamen devenire possunt pathologica ob maximam durationem atque intensitatem.

Interest nobis processus passionales pathologicos perpendere, si volumus intensissimam actionem cognoscere, quam in systema nerveum vasomotor, in circulationem aperte pathologicam et in cerebrum exercent.

Animadvertendum est, phænomena morbida, quæ apparent in processibus passionalibus, produci perpluries ab alterationibus functionalibus in organismo centrali præexistentibus. Memineat lector, passionem esse functionem sensitivam in qua, materia veluti elementum essentiale adscribitur et ex ipsius structura et constitutione dependet. Juxtum non crederem eamdem gravitatem censuræ moralis cadere in systema nerveum summa irritabilitate donatum, quam super alterum plus minusve æquilibratum. Intensitas, seu melius, gravitas alterationum physiologicarum et intellectualium, causa excitationis in centris nerveis et vasomotricibus introductæ, est magni momenti atque ideo est factor essentialis a moralista vel a clinico non contemnendus in diagnostico psychologico-morali conficiendo.

Status minoris seu insufficientis resistentiæ, has alterationes insequentes, eo ipso, quod respondent defectibus organicis, frequenter hereditariis, quamdam justificationem inveniunt in iisdem perturbationibus seu alterationibus somaticis. Plerumque tamen hujusmodi phænomena habitibus voluntarie acquisitis, necnon passionibus ab infantia alitis respondent.

Ita in cognitionem venimus plurium phænomenorum et casuum mansturbationis, iracundiæ cæterorumque defectuum vitam moralem deturpificantium. Notum est etiam, dari prædispositiones passionales æque ex infirmitatibus encephalicis, convulsionibus, craneanis traumatismis, autointoxicationibus, ortis.

Physiologia præbet casuum congeriem in quibus inordinationes passionales satis exaggeratas perspeximus, vi gravium læsionum cerebri adulti, vi læsionis craneanæ, insolationis, apoplegiæ, meningitis, mentalis infirmitatis, febris tiphoideæ, magnæ denutritionis, anemiæ acutæ, etc., etc. Post præfatas alterationes physiologicas remanent in organismo centrali consequentiæ, seu melius, quaedam læsiones, quæ crebro producunt functionalem debilitatem centrorum nervorum, maximam propensionem ad psychoses abulicas acquirendas, prædispositiones ad violentas passiones, et eum, denique, constituunt ad quascumque psychoses et neuroses candidatum.

In processu passionali pathologico, invenitur, insuper, conscientia, æque ac originaria voluntatis actio passiones quærens et fovens.

Distinguenda ergo est conscientiæ perturbatio ob elementa graviter pathologica, et integra responsabilitas ipsius ob liberæ voluntatis interventionem.

Status passionalis pathologicus constituit quamdam amentiam, quæ, etsi transiens, profunde nihilominus operatur et offendit organismum centralem, affectivitatem atque ideationem. Nonnullæ inordinationes psychoneuroticæ hos status sequuntur, sive hi sint congeniti sive acquisiti.

Passiones, denique, quemadmodum in statu physiologico munus suum adimplent vitam spiritualem seu menta-

lem adjuvando, magnumque vigorem spiritui communicando; e contra, maximam inferunt animæ perturbationem conscientiæque confusionem, cum earum actio ita exaggeretur, ut characteres pathologicos acquirat.

His præmissis, confessarius judicet de factis pathologicis, nam perfacile dignoscitur atque distinguitur passio omnino pathologica a passione physiologica; similiter ac distinguuntur gradus plus minusve graviores intra morbidos characteres.

Animadvertat confessarius, hujusmodi statum potius esse dementiam transeuntem, quam statum passionalem. Passiones depressivæ ex quibus plerumque exurgit ira, non parvam actionem in conscientiam exercent; passiones vero expansivæ ita leviter influunt, ut generatim constientiam sui minime amittat subjectus.

Passiones quae facilius ad statum graviter pathologicum deveniunt sunt, procul dubio, amor seu affectus sensibilis, hyperexcitabilitas erotica atque iracundia.

Ad rem clarissimus Tanquerey, agens de vehementi et invincibili propensione: «Hic agitur de illis propensionibus quæ motu quasi ineluctabili impellunt aliquem ad faciendum id quod cœteroquin abhorret. Aliquando tam subito et vehementer quidam istis impulsibus ita premuntur, ut conscii non sint eorum quæ patrantur; alii vero conscii sunt hujus violentæ propensionis, et ad amicos confugiunt ut, ab ipsis incarcerati vel vincti, malam actionem, ad quam impelluntur, vitare valeant. Ita quidam ad suicidium, homicidium, furtum, ebrietatem inviti feruntur toto tempore quo *crisis* perdurat, posteaque, *crisi* superata hæc omnia detestantur suique compotes efficiuntur. Unde ex omnibus adjunctis dijudicandum est utrum, in his casibus, solummodo minuatur an tollatur libertas. In praxi vero, statim ac quis *conscius* est occurrentis *crisis*, amicos rogare debet ut curent ne invincibilis propensio in actum transeat. Insuper ea omnia sedulo vitari debent quibus ejusmodi propensiones induci possunt.» (Tom. I, pag. 78.)

CAPUT VIII

DE NEURASTENICIS

Animadvertendum est, *neurasteniam* realiter distingui a *psychastenia*. Illa complectitur signa physica et psychica debilitatis nerveæ irritabilis; seu clarius, signa generalis depressionis nervei systematis.

Itaque signa physica sunt ea quæ specifice determinant naturam neurasteniæ; psychastenia, vero, ut alibi videbimus, determinatur ab elementis et symptomatibus alterius ordinis; nam, teste Raymond, in psychastenia, signa physica secundariam tantum gravitatem habent.

Neurastenia apparet præsertim in adulta ætate et producitur a principiis et causis systema nerveum profunde debilitantibus. Quandoque est opus hereditarium, in posterum, a causis variis declaratum seu exterius prolatum.

Psychastenia, autem originem ducit a prædispositione profunda, cujus symptomata ab infantia vel adolescentia ostenduntur. Germen psychasteniæ non nisi in cerebris degeneratis, infixis alte radicibus, hæret. Neurastenia curationem prorsus radicalem admittit; in psychastenia, autem, fere semper, etiam post curationem, manent stygmata occulta, sed vera.

Nos scholam Charcot, Janet, Raymond, aliorumque clinicorum «la Salpêtrière» insequentes, *neurasteniam* hoc sensu sumimus: «a fundamentis susceptam, dicimus esse debilitatem generalem nervei systematis absque læsione anatomica notam, phænomenon reapse dominans totam clinicam congeriem ad neurasteniam spectantem. Inde ortum ducit nomen ejus, *astenia*, nempe, difficultas exercitii muscularis, debi-

litas generalis subjecti in omnibus ejus operibus manifestationibusque activitatis».

Beard, nominis creator, cum describebat neurasteniam veluti novam neurosim, eam asserebat esse fundamentaliter dynamicam, cujus attributa distingui dicebat per potentiam nerveam. Neurastenia, ait Brissaud, necessario consistit in diminutione energiæ seu vis nerveæ, tum in parvis apparatibus peripheriçis viscerum, tum in magnis centris medullæ et cerebri.

Ætiologia. Ob multiplices causas producitur neurastenia. Numeratur neurastenia hereditaria, quæ sita est in eo quod subjectus accepit e parentibus insufficientiam nerveam. Similiter producitur neurastenia ob incitatum cursum seu celeritatem vitæ, ob maximam impressionabilitatem in moderna societate et ob defectum atque insufficientiam reintegrationis virium in laboribus sive intellectualibus sive moralibus sive manualibus.

Præterea, communiter admittitur maximam lassitudinem seu fatigationem nervei systematis gignere neurasteniam, maxime cum ipsi addatur abusus morphinæ, cocianæ, alcoolis, tabacci, etc.

Clinici duplicem in speciem distinguunt causas producentes vel accelerantes neurasteniam: eæ sunt vel *determinantes* vel *prædisponentes*. Prædisponentes, seu eæ quæ minuunt vim resistentiæ nervei systematis, veniunt frequentius ob hereditatem, insufficientem nutritionem, rachitismum, et alia similia. Determinantes comprehendunt impressiones, emotiones seu maximas animi affectiones, quæ faciunt ut infirmus seu debilis subjectus admittat sensus contradictorios rerum, efformet illusiones, autosuggestiones, amittatque vigorem psychicum.

Proni sunt quoque ad neurasteniam acquirendam subjecti artritici nervosi; artritici enim tarde nutriuntur, quod occasionem præbet toxinas seu venenum generandi in organismo, cum perturbationibus molecularibus chemicis insequentibus, ex quibus nova efformantur venena.

Perbelle aiebat Charcot: *Non fit neurastenicus nisi qui*

vult fieri. Quæcumque sit prædispositio organica vel psychica, lenta ac constans interventio voluntatis, supra modum modificat actionem physicorum agentium.

Symptomata. *Astenia* sese offert sub forma nervea, psychica et musculari. «Astenia neuromuscularis, et sensus perpetuæ lassitudinis, probabiliter accusant continuam debilitatem, quam perspicimus, ope microscopii, in duobus neuronis superpositis, viam motricem a cortice ad peripheriam constituentibus; agitur de neuronis corticalibus bulbo-spinalibus et de neuronis spino-muscularibus.

Astenia nervea et muscularis in ejus mitioribus formis, minime impedit laborem professionalem; quamvis regulari resistentia careat.

Neurastenicus est infirmus subjectivus magis quam objectivus et realis. Psychastenicus revera ad misericordiam excitat; neurastenicus autem indiget fortitudine, quam acquirere debet aliqua severitate atque virili impositione.

Possibile est statum neurastenicum in psychastenicum degenerare ob violentum motum naturæ; nam centra necessario offendetur ex persistentia violentiæ in nervos et in psychismum.

Neurasteniam comitatur insomnium, quamvis frequenter sunt insomnia puerilia, nam, non raro accidit quod plus æquo vel necessario infirmi dormiant, sed prorsus pigritia eos dominetur.

Aliud symptoma invenitur in *cephalea neurastenica*, quæ realiter distinguitur a cephalea symptomatica gravium læsionum. Existentia hujusce cephaleæ est omnino certa; et evidenter influit in exaggerationem difficultatum, quæ impediunt celeritatem vel cursum regularem intelligentiæ ac voluntatis.

Status mentalis neurastenici. Neurasteniam comitatur status quidam *cenesthopatiæ*, hoc modo a Brissaud perpensus: «Infirmus sensationes experitur hactenus ignotas, laboriosas et acerbas. Perturbatum est a principio systema nerveum periphericum, vel patitur tantum damnum, quod

primitive et fundamentaliter oritur ex centris superioribus? Absolute non constat. Patet vero, infirmum in dies majorem præbere attentionem interioribus phænomenis, olim fere ignotis.»

Inter omnes mentales manifestationes a cenesthopathiis generatas, locum principalem occupat *nosophobia*, seu præoccupatio obsessionans infirmitatis cum omnibus ejus consequentiis.

In mente habe quod causa perturbationis psychicæ in neurastenico sit fere semper *subjectiva*. Ipsemet nutrit, fovet, distendit et notabiliter auget imaginem infirmitatis. Dantur, quidem, interdum elementa objectiva in hoc phænomenorum genere, sed frequentius perturbatio realis ab inordinatione subjectiva provocatur.

Raymond perbelle asserit, statum mentalem neurastenici distingui ac cognosci per *psychicam depressionem*. Depressio apprime ostenditur per lassitudinem generalem corporis et per *attentionis debilitatem*. Defectus attentionis frequenter impedit omnem laborem cerebralem aliquid perseverantem. Cum infirmus intendit attentionem intense in rem affigere, notabiliter defatigatur et magnos in encephalo dolores experitur.

Memoria quandoque pigra, semper integra, plerumque distracta.

Activitas intellectualis potest quidem existere, veluti activitas physica, sed notabiliter imminuta, et aliquoties, quamvis raro, fere extincta. Tunc infirmus caret *voluntate* plena et impotens quodammodo efficitur.

Emotivitas his in casibus est extrema, nam apparent exaggerationes timoris, melancholiæ, autosuggestionis, desperationis, etc. Ex quibus enascitur sensus quidam *insecuritatis psychologicæ*, instabilitatis moralis, auctus per vanos timores, irritabilitatem et terrores non raro tædium vitæ provocantes et ad suicidium invehentes.

Judicium minime pervertitur; sed dumtaxat illud læditur aliquantulum ob depressionem generalem facultatibus psychicis insitam.

Demum status mentalis neurastenici omnino differt in ejus

operationibus ab statu mentali infirmorum psychoses proprie dictas ferentium, vel alias psychoses intra psychasteniam vel hysterismum adnumeratas.

Status responsabilitatis moralis. Institui potest tamquam regula generalis, statum neurastenici minime auferre actuum responsabilitatem, sed tantum minuere. Dantur tamen casus particulares reflexuum, impulsionum ad homicidium vel suicidium, qui status ad phœnomena psychastenica melius reduci deberent, inter actus irresponsabiles adnumerata.

Frequenter inveniuntur, quoque, casus veræ confusionis mentalis, vel obnubilationis conscientiæ propter repræsentationes impulsivas quæ strenue apparent in regione spiritus. Hujusmodi imagines et emotiones, concessa fragilitate æquilibrii vasomotoris et cerebrastenia infirmi, possunt, in aliquibus casibus, mechanice quosdam ipsorum determinare. Sunt hi actus extra legem generalem a qua permittitur statuere quamdam attenuationem actuum responsabilium.

Conscientia neurastenici permanet aliquantulum perturbata, sed sufficienter lucida ut realitatem, gravitatem et vim suorum actuum comprehendere possit.

Auctores qui status neurastenicos a psychastenicis non distinguunt congeriem seu multitudinem casuum irresponsabilium produnt, causa impulsionum, melancholiæ, monomaniæ, fortiumque et violentarum obssesionum. Dignosci debent juxta regulas supra statutas.

Apposite scribit Tanquerey: «*Neurastenia* est status quidam pathologicus, in quo nervi apparent debilitati et exhausti, ita ut agens, quamvis sui compos, maxima inconstantia laboret, multumque physice et mentaliter depimatur... Ex hac nervorum debilitate voluntas fit valde infirma et instabilis, inepta ad fortiter malis propensionibus resistendum; quare *minuitur*, quin tamen tollatur, libertas.» (T. I, pag. 79).

Therapeutica. Cum neurastenia sit expressio clinica depressionis virium nervearum in dominio physico æque ac in dominio mentali, ejus tractatio propendere debet ad reinte-

grationem nervei systematis, ut de facto therapeutæ omnes præscribunt. Cæteræ tractationes sunt sympomaticæ. Curandum ergo: 1°, tractatio generalis asteniæ nerveæ; 2°, medicatio admissa contra symptomata frequentiora neurasteniæ, et 3°, tractatio moralis sub basi psychotherapica.

1° In primis indiget *quiete* physica, morali atque intellectuali. Nec sufficit ipsi consilium præbere, sed summa cura debet præscribi ac circumstantialiter determinari. Patent rationes quibus innituntur hujusmodi assertiones.

Occupationes sunt quoque neurastenico necessariæ, nam socordiæ tradito et in propriam imaginationem derelicto accrescerent ejus anxietas et perturbatio. *Dieta mentalis* est pessima tractatio; debet secus subjici regimini intellectuali in quo inveniat requiem animi et confortationem nervorum et musculorum.

Unde consulenda etiam itinera terrestria vel maritima, distractiones, exercitia muscularia, hydrotherapia, electrotherapia, aliaque medicamenta nutritionem organicam adjuvantia.

In pharmacotherapia reperiuntur *phosphorus*, nerveum systema notabiliter stimulans; *præparationes arsenicales*, præsertim sub forma liquida «de Fowler», seu melius, post injectiones cacodilati «de sosa» aut ferri, quamvis summa adhibenda est cautela sive quoad quantitatem sive durationem. Vitanda multiplicatio injectionum hypodermicarum.

2° Medicatio symptomatica comprehendit: *cephaleam*, quam contendere debemus *antipyrina, pyramidone, aspyrina, phenacetina* vel *exalgina*, summa cum moderatione sumptis; *raquialgiam*, quam oppugnare vel attenuare valemus requie, frictionibus, «masaje», calidis applicationibus in regione dorso-lumbaria, magis quam medicamentis pharmacologicis; *insomnium*, quod medicatur variis præparationibus plus minusve efficacibus; nempe, sulphonali, trionali, tetronali, veronali, hydrato de amyleno, etc. Insomnium necessario medicandum in neurastenico, nam ut fert effatum: «noctes bonæ faciunt dies bonos».

Perturbationes *genitales* medicantur in hominibus præscriptionibus hydrotherapiis, frigidis et calidis; aliquando,

præsertim in casibus difficilioribus seu rebellibus, *galvanizatione perineali*; tunc polum positivum applicatur lumbis, negativum vero, perineo, scroto vel membro virili.

3° Moraliter inspectus, neurastenicus eget tractatione psychotherapica, quæ simul cum physichotherapica applicari debet. Psychotherapia complectitur, subtilem suggestionem verbis, actionibus, scriptis, etc., exercitam; reeducationem voluntatis, optimistas impressiones, atque impositiones. Numquam adhibenda ratiocinatio neque instructiones.

CAPUT IX

DE PSYCHASTENICIS

Hoc verbum recenter a Janet creatum, nuncupatur quoque *psychoneurosis autonoma*. Clinici qui sensum psychasteniæ determinavere, comprehendunt in ea obsessiones, impulsiones, phobias, anxietates, tics, abulias, etc. Nos autem, reducentes veluti syntesim psychopathicam phænomena debilitationis mentalis atque insufficientiæ psychologicæ, cuncta facta et phænomena ad hæc principia redigemus: ad insufficientiam psychicam et ad defectum mentalem, qui manifestantur in *intellectu* per imaginis vel ideæ exaggerationem, vel etiam per confusionem transitoriam conscientiæ.

Inde imagines fixæ, obsessiones, insufficientia intellectiva; *in voluntate* ob defectus stimulorum et elementorum determinantium; in *sensibilitate* per depressiones vel exaltationes emotivas (melancholiam, maniam, etc.); in facultate *motrici* per impulsiones et quidquid comprehendit automatismus nerveus et muscularis.

Vita atque functiones normales secum ferunt quoddam æquilibrium et circulationem, inconfundibile omnino cum imagine obsessiva. Imago atque idea, in normali, recte atque ordinate procedunt; in pathologicis imago totam hominis vitam dominatur cum exigua interventione ideæ seu judicii moderatoris.

Augustinus Gemelli hanc paragraphum habet in suo opere recenter edito *De Scrupulis*: «*Psychastenia est morbus constitutionalis et hereditarius*. Is evolvitur in individuis magna hereditate morbosa affectis, atque præmature oritur, ut plurimum, tempore pubertatis, modo insidioso, nulla præexistente causa physiologica, quæ adsignari possit, tamquam

causa determinans. Insuper ipse evolvitur in individuis quadam typica physiognomia characteris præditis, quam supra descripsimus, atque evolvitur sub actione cujusdam causæ moralis, cujus momentum, primo aspectu, videretur inadæquatum, sicut quædam emotio.»

Communiter phænomena pathologica non per obsessiones nec per emotiones fundamentaliter explicantur; sed per *insufficientiam psychologicam constitutionalem*, in qua reperitur causa atque principium cæterorum omnium phænomenorum.

TABULA JUXTA PETRUM JANET

Stigmata psychastenica

I - Sensus incompletionis	In actionibus. In operationibus intellectualibus. In emotionibus. In perceptione personali.
II - Insufficientiæ psychologicæ	Simptomata coarctationis sphoeræ conscientiæ. Alterationes voluntatis. Perturbationes intelligentiæ. Perturbationes emotionum et sensum.
III - Insufficientiæ physiologicæ	Perturbationes nervearum functionum. Perturbationes functionum digestionis. Modificationes quæ accidnnt in circulatione. Perturbationes functionum genitalium.
IV-Characteres generales status psychastenici	Incompletio moralis. Amissio functionis sensus practici. Periodi psychastenicæ.

Momentum psychopathologicum et morale psychasteniæ. Inter omnes quæstiones de quibus agit moralis pathologica, forte præcipuum locum occupat ea quæ ad intrinsecas et essentiales relationes psychasteniæ refertur; seu melius, ea quæ circa stigmata versatur. Somatice et psychice spectata, amplectitur quidquid profundius ac fundamentalius existit in mente et ad exercitium intellectivarum facultatum inservit. Insufficientia vel exaggeratio hujusmodi facultatum et functionum, en natura stigmatum quæ sunt in tabula supra posita. De singulis pauca.

Sensuum incompletio in actionibus patefit maxima difficultate in resistendo, sensu inutilitatis ad actionem perficiendam, necnon magna formidine in voluntate; hujusmodi insufficiens est prorsus incapax sese determinandi, summa debilitate laborat quoad opera difficilia aggredienda; anceps perpetuo hæret, quin voluntas firmiter objecto adhæreat; subjectus ægrotus vim patitur ob metum persecutionis, ob gravem timorem ab extra ficte incussum, ob profundum tædium vitæ, ob gravissimum metum immerito insitum, vi cujus, ægrotus coram hominibus publice apparere nequit.

Sensus incompletionis in operationibus intellectualibus manifestus fit per insufficientiam attentionis atque instabilitatem mentalem; per incompletam perceptionem, imaginis sensitivæ prædominium, perpetuæ dubitationis statum, crisim idearum atque per profundam abuliam.

In *emotionibus* plerumque reperiuntur sensus indifferentiæ, id est, nec sensatio actus propria nec lætitia consequens sentitur. Spiritus manet indifferens ad hanc vel ad oppositam determinationem. Generatim censetur effectus insufficientis comprehensionis atque abuliæ. Animus quoque quamdam inquietudinem vel anxietatem patitur lypemaniæ similem, obssesionis causa. Ut ægroti præfatam anxietatem mitigent excitantia instinctive quærunt. Unde plures dantur, hac de causa, dipsomani, morphinomani, erotomani, qui novas quærunt sensationes intra objecta prohibita.

Depersonalizationem sensu quo volunt positivistæ, inadmissibilem prorsus autumamus; firmiter secus tenemus conscientiam amittere ideas, sensus, et quidquid in ea positum est, quum superveniat gravis ægritudo seu perturbatio centrorum nervorum vel viscerarum organismi. Nec persona neque conscientia destruuntur, sed dumtaxat status ipsarum mutantur.

De cæteris stigmatibus nihil agimus quum iisdem principiis atque characteribus subjiciantur ac præfata.

Status, igitur, **mentalis** psychastenici est pauperrimus, et benigne judicandus est. Communiter totam occupat *intelligentiam* idea obsidens; *voluntas* sese offert abulicam seu inde-

terminatam; *emotivitas* fere semper exaggerata tum summe exaltata tum alte depressa est; *conscientia* confusa et maxime obnubilata; *sensibilitas* prona ad illusiones atque hallucinationes admittendas.

Non licet ergo confessario oblivisci naturam phænomenorum psychasteniæ, quibus perfacile desunt conditiones essentiales actuum humanorum.

Quamvis supra diximus psychasteniam esse morbum constitutionalem atque hereditarium, tamen fas est asserere psychasteniam existere quoque acquisitam; nam potest natura summe debilitari et profunde degenerare ope vitiorum seu vitæ relaxationis, præcipue ope excessuum genitalium, qui non raro reperiuntur in utrisque sexibus.

Confer caput primum in quo agitur de potissimis quæstionibus, quæ ad insufficientiam psychologicam referuntur.

Nihilominus, omnibus compertum est. quod irresponsabilitas est absoluta cum agatur de allucinatione, de gravi abulia, de imagine omnino obsidente et, generatim, de gravibus simul ac constitutionalibus perturbationibus. Aliter judicandum est in morbis voluntarie acquisitis, nam sunt voluntarii in causa. Aliis in casibus, responsabilitas attenuata censenda est.

CAPUT X

DE SCRUPULOSIS

Augustinus Gemelli, O. F. M., in lucem edidit clarissimum opus sub titulo *De Scrupulis* (Florentiæ, 1913), ex quo haurire volumus nonnulla concepta his assertionibus formulata.

Scrupulus, teste Berger, «est angor spiritus, anxietas animi formidantis in omnibus Dei offensam, et eo usque dubitantis de non satis perfecta proprii officii adimpletione». Hujusmodi timor peccandi vel peccati jam commissi cum levissimo tantum fundamento et sæpe cum nullo fundamento, mentem exagitat, falsa adstruit judicia, interiorem destruit pacem, arcet a Sacramentis salutemque animæ et corporis periclitari facit.

Scrupulus exhibet notas quasdam seu characteres peculiares, uti sunt inquietudines, obsessiones, exagitationes, impulsiones, *tics*, phobiam, angores, dubia et vulgo dictam duplicem conscientiam. Status scrupulosus intimam servat relationem cum statu psychastenico; imo, est ipsius consequentia.

Primum quod in scrupuloso examinandum occurrit est ejus status intellectualis; totum fere intellectum occupat *idea seu imago obsidens*; quæ continuo reproducitur in agroti spiritu contra ipsius voluntatem, anxietatem quoque et angores inducendo. Hujusmodi repræsentationes mentales nuncupantur *ideæ fixæ, ideæ exactæ, ideæ incoërcibiles, ideæ obsidentes* vel simpliciter *obsessiones*.

Scrupulosus continuo eadem repetit, numquam incæptam ideam concludit, in singulis fere verbis sibi contradicit, hallucinationesque plurimum patitur.

Quoad materiam idearum obsidentium, præsertim versan-

tur circa religiosa et moralia, id est, amplectuntur obsessiones atque impulsiones sacrilegas, criminosas, ad seipsum spernendum, ad proprium corpus despiciendum et hypochondriacas. Forma communior scrupulorum est remorsus conscientiæ, vi cujus, ægrotus magnis et novis cruciatur tormentis.

Ut perfectius diagnosim infirmitatis efformetur, non tantum materiam, sed modum etiam quo ideæ exoriantur et sese ostendant, perpendere debemus.

Characteres idearum obsidentium hi sunt præcipui:

a) *Idea obsidens est idea fixa.* — Repræsentationes mentales complexæ apparent et exaggeratam induunt gravitatem, excessive spiritum occupando; datur enim casus in quo insumantur decem aut duodecim horæ in determinata meditatione sacrilegii vel mortis vel inferni. Tales ideæ semper conscientiam aggrediuntur et possident, velut metuenda et obstinata spectra, quæ licet feliciter interdum arceantur, nunquam tamen desint novas aggressiones moliri. In omnibus processibus mentalibus prædominatur idea obsidens in animo scrupulosi.

b) *Ægrotus obsessus est quidam demens lucidus.* — Status obsessionis est status irrationalis et alogicus; seu clarius: ideæ obsidentes potentiam habent ad ratiocinationem interrumpendam, sed non corrumpendam. Hujusmodi ideæ deprehenduntur in hominibus, qui cæteras omnes operationes psychicas normaliter peragunt; imo plures sunt optimi professores artium, cultores scientiarum, etc.

Obsessiones, insuper, sunt frequentes et valde permanentes; sed notandum est, quod licet hæc permanentia ratio sit per se pathologica, non in ea tamen est, unice reponenda illogica earum natura.

Frequentiæ harum idearum addenda est facilitas reproductionis; nam ut fert lex psychologica, idea quælibet, quæ non dissolvitur, eo profundius radicatur, quo majoris fit attentionis objectus; quia magis atque magis ob idipsum excellit, aliasque attrahit ideas, quæ possunt cum ipsa conjungi, eo ferme pacto, quo habetur crystallizationis processus.

Scrupulosi habent veluti duplicem personalitatem, seu proprius, duplicem statum ejusdem personæ; conscientiam scilicet, obsessam et conscientiam lucidam. Ægroti viventes

in societate seu inter homines commorantes, propria munera adimplendo, suis obsessionibus renuntiant et sicut cæteri agunt. Externe ergo sunt normales, sensu communi prædíti et rationabili prudentique animo et vita ducti. Quoad vitam internam, autem, ideæ obsidentes secreto et studiose excultæ animum dominantur; et hæc vita formidine, angore et dubiis est maxime referta.

Animadvertendum est, præterea, scrupulosorum obsessiones, præ se ferre quamdam impulsivam providitatem et dispositionem ad actum. Hujusmodi vero dispositio, nedum invincibilis, ut perperam asseritur, numquam completa habetur; ægrotus quippe de sua impulsione potius formidat, quam ipsi obtemperet. Necessitatur ad imaginem terribilem et veluti irresistibilem cogitandam; sed revera imaginarias manias non prætergrediuntur.

Reperiuntur quoque in his infirmis imaginariæ repræsentationes hallucinationesque symbolicæ. Quamvis ægroti jurent se vidisse vel fecisse vel audivisse quod revera non existit, minime ipsis credendum est nam veram sensationem ad instar sensationis realis experiuntur, ut plerumque a nobis perpensum est; agitur tantum de quadam mania hallucinatoria; non vero de vera et reali hallucinatione.

Scrupulosus, licet summopere perscrutetur ideas dubii quibus vexatur et media adhibeat ad acquirendam certitudinem, tamen, impotens omnino est ad logicum ratiocinium. Scrupulosus, cum agatur de ideis proprii timoris, sive quoad præteritum, sive præsens, *est semper sophista*, creditu difficillimus.

Ex hactenus expositis liquet, quod inter phænomena morbosa scrupulosi, logice admittantur *agitationes coactæ* quæ indicant cogitationes, actus, emotiones, immoderata esse unaquæque simul absque fine, nimirum, phænomena inconscienter producta, et scrupulosi animum plurimum seu plus æquo agitantia.

Præfatæ agitationes esse queunt *mentales* (mania systematica, fluctuationis, ultra gradiendi, reparationis et ruminatio mentalis); agitationes *motrices* (tics); agitationes *emotionales* (phobiæ multiplices, angores).

Hodie communis fere sententia est, testibus Janet et Legrain, hujuscemodi phænomena ad unicam classem seu speciem clinicam pertinere, etsi logice distinguantur in *ruminationes* et *manias mentales*, in motus ineluctabiles, *tics* vocatos, et in alterationes *organicas viscerales*; quæ omnia sub nomine *agitationum coactarum* nuncupantur. Diligenter advertendum est, quo magis ægrotos rumiare, eo minus motus peragere; quo magis physice agitare, eo minus agitationibus intellectualibus laborare.

Stigmata status scrupulosi præsertim sunt: sensus incompletionis quoad actiones, quoad operationes mentales, quoad emotiones et quoad perceptionem personalem, ut rite colligitur ex dictis de natura et characteribus ideæ obsidentis. Idem dicito de insufficientia psychica in homine integrali accepta. Scrupulosus præterea amittit sensum realitatis judiciumque practicum. Stricte perpensus hujusmodi ægrotus caret sufficientia physiologica sive in systemate nerveo, sive in nonnullis visceribus.

Auctores priusquam formulent pathogenicam theoriam de scrupulis, quærunt quænam sit vera eorum psychologica interpretatio. Ad tres, præcipue, reducuntur nunciatæ theoriæ; sunt scilicet: *intellectualistica*, cujus phænomenon fundamentale est obsessio proprie dicta, seu idea, quæ ægrotum torquet; *emotionalis*, quæ initium sumit ex agitationibus coactis, præsertim ex affectionibus emotionum angoris; *psychastenica*, quæ initium sumit ex tertio ordine factorum, nempe ex insufficientiis psychologicis et præsertim ex abuliis.

Conditiones ætiologicæ scrupulorum, inter alias, sunt: hereditas, debilitas constitutionalis et psychastenia. Causæ physicæ has conditiones determinantes, sunt: labores, immoderationes, traumatismi, morbi graviter debilitantes, puerperium, excessus genitales et aliæ. Moraliter influunt emotiones depressivæ, character, educatio et præsertim *erronea directio spiritualis*.

In diagnosi scrupulorum distinguenda sunt attributa ipsorum et attributa tentationis aliarumve infirmitatum. Facile occurrere potest, quod confessarius, nisi multa pru-

dentia præditus sit, scrupulos cum tentationibus confundat. Certum est, scrupulosum committere posse gravia peccata in diversis legis moralis ordinibus, et tamen esse impeccabilem in ordine scrupulorum. Tentatio est incitamentum quoddam ad malum sub forma imaginum vel idearum. Characterem, ut patet, habet longissime diversum a charactere ideæ obsidentis; hæc est abnormis, excessiva, tentatio autem est normalis incitamentum ad malum.

Confessarius doctus ac prudens perfacile distinguet in sola subjecti inspectione, utrum agatur de scrupulo vel de tentatione. Oportet videre quomodo subjectus adhæreat virtuti, quæ in periculum adducitur a tentatione, atque statuere quamnam efficaciam habeat in productione spontanea tentationis dissociatio conscientiæ. Quo majori fæditate idea afficitur, et quo magis extra tempus apparet, eo magis consideranda est veluti anormali et pathologica. His indicationibus, facile concludere possumus an de obsessione pura an de simplici tentatione agatur.

Idem dic de neurasthenia, de hysterismo, de dementia et aliis relate ad scrupulos, ut consulere potest lector in capitibus respectivis.

Prognosis seu evolutio infirmitatis prorsus necessaria est confessario. Unde eam et præcipuas ejus formas inquirere debet.

Therapeutica. Ad sacerdotem attinet hujusmodi infirmos curare et pacem conturbatis animabus reddere. Plures adinventæ fuere methodi ex quibus confessarius practicas nonnullas conclusiones eruere potest.

Physice mederi valet scrupulos via *hygienica*, ejus nutritionem curando; psychastenici enim, forti nutritione indigent atque plures ex illis, sanitatem assequuntur, dumtaxat nutritione abundanti adhibita. In his ægrotis sæpe perturbantur functiones diggestivæ ex quibus producitur torpor in sanguinis circulatione. Via *medicamentorum* mederi debent, eos qui actionem sedativam exercent, pacando excitationem generalem excessivam, et eos qui actionem tonicam exercent, activitatem normalem integro organismo, præsertim nerveo systemati reddentes.

Commendatur quoque *hydrotherapia* ob evidentem influxum in vasodilatationem organismi. Cum agatur de quiete obtinenda utantur balneis aquæ tepidæ; semel sedata excitatione utantur balneis et lotionibus aquæ frigidæ.

Therapia physica est nihilominus insufficiens, licet magni momenti atque utilitatis censeatur.

Prætermissa quæstione de hypnotica actione in scrupulosum, cum probabilius psychastenici sint inhypnotizabiles, de suggestione persuasiva agendum est necnon de psychotherapia. Suggestio ope ratiocinii operata, est prorsus infructifera, nam ratiocinationes, quas habere possumus cum psychastenico, majoris momenti non sunt quam eæ, quas facere potest scrupulosus ipse. Unde therapia scrupulosorum abstinere debet a ratiociniis.

Psychotherapia amplectitur quemque moralem vel psychologicum influxum in hominem agentem. Efficitur ergo per visum, per auditum, per optimistas impressiones, etc. Magni momenti est directio spiritualis prudentis ac sapientis confessarii. Ad rem Janet: «Sacerdotes morbum scrupuli cognoverunt multo ante quam medici, ac confessio regularis inventa esse videretur a quodam *alienista* magni ingenii, qui individuos obsessionibus affectos curare cupiebat.»

Qui uberiores desideret informationes, consulat operi supra commendato et a nobis in præsenti capite excerpto atque parvis fracmentis reproducto.

CAPUT XI

DE HYSTERICIS

Perturbationes neuropathicæ et psychopathicæ medicum ac confessarium summopere præoccupant, præsertim cum agatur de *hysterismo*.

Ad enucleanda hysterismi phænomena plures formulatæ sunt theoriæ: *theoria uterina*, quæ perturbationes hystericas explicat affectionum uteri causa; *theoria nervea*, quæ nervis tribuit quidquid accidit in hujusmodi ægritudine; *theoria cerebralis*, juxta quam sedes infirmitatis est tantummodo in cerebro.

Schola la Salpêtrière. — Charcot asserit hysterismum esse morbidam entitatem clare determinatam et a cæteris formis ægritudinis distinctam. Pitres ait accidentia hysterica esse consequentiam perturbationum functionaliuin nervei systematis. Ipsa possunt subito provocari, modificari vel tolli ope psychicorum influxuum vel etiam physicarum causarum.

Hysterismus, inquit Janet, est forma quædam depressionis mentalis, summam induens restrictionem in ambitu conscientiæ personalis, propter proclivitatem ad dissociationem et emancipationem idearum et functionum, quæ per syntesim eorum, personalitatem constituunt. Paucis dicam: characteres essentiales hysterismi, juxta Janet, sunt, depressio mentalis, reductio ambitus et complexus conscientiæ et dissociatio ipsius, ideæ fixæ et dolenter influentes circa casum determinatum, locatio perturbationis in functione aliqua particulari et præsertim, defectus vel ab sentia syntesis mentalis et personalis.

Babinski, discipulus præclarus *scholæ de Nancy*, per diametrum opponitur scholæ la Salpêtrière, quam accusat veluti

agentem confectorem artificialis hysterismi. Illo teste, hysteri smus est quidam status psychicus, quo fit ut subjectus perfacile autosuggestionetur. Babinski supprimere intendit verbum «hysterismum» et illud substituere vult per *pitiatismum* (mederi ope persuasionis), quod non paucis ambitur difficultatibus.

Ætiologia hysterismi accusat sexum femineum præ masculino; licet in viro characteres graviores quam in femina generatim exhibeat.

Causæ plus directæ sunt: hereditas, alcoolismus, intensa ac durabilis perturbatio emotionum, affectiones uterinæ in muliere necnon excessus erotici; mansturbatio in utrisque sexibus; et præsertim, prædispositio constitutionalis, qua supposita, quivis agens pathogenus nerveum systema excitare valet et ægritudinem hystericam provocare. Certum est, quod nec excitatio psychica, neque imitatio neque excessiva lassitudo intellectualis, ex se, absque prædispositione in subjecto, producere possint hujusmodi infirmitatem, seu provocare hysterismum.

Symptomata. Notæ characteristicæ hysterismi, scribit Oppenheim, sunt excitabilitas anormalis et humoribus male affecta. Affectivitas facillime alteratur ob inanes causas, quæ apparatum sensitivum, sensorialem, vasomotorem et secretorium perturbant. Evidenter datur in hysterismo destitutio activitatis spiritualis simul cum exaggeratione activitatis corporalis.

Existit quoque augmentum suggestionabilitatis atque functionis imaginativæ, ita ut, ope imaginationis possit realiter seu effective provocare et acquirere infirmitates, notas tantum per repræsentationem, ut non raro accidit.

Cum phænomenon pendet ex imagine satis intensa, tunc est perdurabile; sed cum pendet ex emotione est summe variabile, sicuti variabilis est emotio.

Status psychicus generalis hysterici est valde deficiens, nam infirmi sunt summe irritabiles, absque ulla vi frenatrici, sunt fere abulici et quandoque excessive violenti ut aliquid

consequantur; frequenter impulsiones ortæ ex malo animi statu illos dominantur.

Species quædam polyzoismi admittit duplicem personalitatem ex crisi hysterica resultantem. Nos autem asserimus, *ego* hystericum minime constituere alteram personam, sed dumtaxat alterum ejusdem personæ statum.

Status mentalis hystericorum. Prætermissis pluribus perturbationibus sensibilitatis, uti sunt anæstesiæ, hyperæstesiæ, paræstesiæ, algiæ; perturbationes sensoriales, reflectivæ, motores, trophicæ et vasomotores aliquæ perturbationes viscerales, in memoriam evocare volumus quidquid de psychastenicis dictum manet. Ignorare non licet maximam affinitatem servare psychasteniam cum hysterismo; unde frequentes sunt phobiæ, imagines fixæ, obsessiones aliæque perturbationes cenestopathicæ, quæ ad organismum periphericum et visceralem repercutiunt.

Summo jure libentique animo consentimus cum Charcot, teste discipulo suo Athanassio: «Læsio anatomica hysterici aufugit adhuc actualibus mediis investigationis; sed infallibiliter ostenditur vel traducitur per trophicas perturbationes, analogia absoluta servante cum perturbationibus organicis systematis nervei centralis vel nervorum periphericorum.»

Memineat lector quæ supra scripserimus ex theoria Janet. Addere opportunum censemus, quod Krafft-Ebing firmavit sua superiori auctoritate, scilicet: hysterismum, secum ferre maximum psychicum inæquilibrium in ideis et in affectibus: primas esse illogicas atque pueriles; affectus facillime mutari in exaltationem vel in depressionem; conceptionem intellectualem quandoque esse claram atque intuitivam, quandoque summe confusam; phantasiam, demum, pronam ad hallucinationes.

Ipse Krafft-Ebing, qui summa auctoritate egit de sexualitate pathologica, asserit, hystericos, perpluries experiri maximam exaltationem libidinosam, quamvis non desint qui incredibili frigiditate potiantur.

Amittunt, præterea, sensus morales caritatis atque hu-

manitatis; voluntas debilitatur, æque ac energia moralis spiritus; suspenditur exercitium liberi arbitrii, conscientiaque retinere nequit ideas, imagines, sensus, affectus et facta in proprio sinu genita atque evoluta.

Idem tenent et eisdem terminis exprimunt Kræpelin, Regis, cæterique omnes psychiatræ, ita ut, Kræpelin perpendens hysterismi naturam dicat: «credo naturam hysterismi inniti debere in eo, quod universæ ordinis mentalis perturbationes producantur cum intensis sensationibus summe exaggeratis per intermedium idearum. Nullum datur phænomenon in hysterismo, quod produci non valeat occasione violentæ emotionis».

Hysterismus igitur est infirmitas quædam mentalis, quam comitantur læsiones organicæ, simul in crisim hystericam valde influentes.

Responsabilitas **moralis histericorum**. Personis hystericis numquam desunt perturbationes elementales functionum psychicarum, ait Krafft-Ebing; ejus fundamentales manifestationes sunt: æquilibrium inestabile prædictarum operationum, facilitas anomalæ suggestionis, facilitas reactionis mechanismi psychici et rapida variatio excitationum. Inde exurgunt anomaliæ vitæ affectivæ, quæ exaggerari queunt usque ad passionem vel irritabilitatem moralem.

Impressionabilitas intellectualis et moralis infirmi facilem reddit apparitionem repræsentationum impulsivarum. Cunctæ anomaliæ sensationum necessario trascendunt ad ordinem moralem. Impulsiones plerumque formam desideriorum, et vehementium propensionum accipiunt. Defectus frequentior in hystericis est simulatio, inquit Krafft-Ebing.

Sexualitas, præsertim feminea perplures exhibet anomalias, juxta variabilitatem impressionum, imaginum atque emotionum.

Non omnes actus ab hystericis effecti, sunt, eo ipso, irresponsabiles, non semper enim sub influxu pathologico efficiuntur; multoties vera ac independenti libertate et conscientia operantur. Confessarius faciliter distinguet casus in quibus accidens vel crisis hysterismi est unica causa phæno-

meni, vel idem respondet symptomatibus quæ præcedunt vel sequuntur crisim, vel, denique, omnino segregatus atque independens a crise hysterica. Si primum, omnino irresponsabilis actus censendus est; si secundum accidit, ita attenuatus concipitur ut fere omnino sit irresponsabilis; si tertium, est prorsus responsabilis suorum actuum.

Hæc doctrina jure admittenda in perdificilibus quæstionibus relate ad hysterismum.

Therapeutica. In primis de *psychotherapia* agendum est utpote methodus conformior naturæ infirmitatis. Hysterismus revera est affectio nervea cum perturbationibus psychicis; quæ omnia facillime reactionant ope intensæ impressionis vel emotionis vehementis. Hæc methodus exercetur rationabili persuasione, prudenti suggestione quoad res ad sensum communem, ad affectiones animi et ad ordinem moralem spectantes. Ideas fixas apprime et frequenter mederi per somnium hypnoticum possumus. Auctores communiter tradunt media moralia ad statum hystericum medendum; plurimum commendatur prudens directio spiritualis seu conscientiæ ut summum criterium psychotherapicum.

Habetur ut tonicum centrorum nervorum, excitabilitatis reflexæ moderator, *valeriana officinalis*, subfrigida, cujus jusculum præconizatur veluti antiæspasmodicum et sedativum adversus hysterismi accidentia atque crises (Zilgien). Grasset commendat systema hydrotherapicum. Confessario interest præsertim, cognoscere phænomena psychica hysterismi, psychologiam normalem personæ et directionem moralem ipsi necessariam.

CAPUT XII

DE QUIBUSDAM FORMIS DELIRII PATHOLOGICI

Magnum in clinica mentali acquisivere pondus *deliria systematizata*, quæ constituunt congeriem infirmitatum physionomiæ particularis. Luciditas, memoria atque intellectualis activitas perfecte servantur et ad servitium delirantium conceptionum mittuntur

Delirium interpretationis. Characteres particulares hujusmodi psychosis sunt: 1° Multiplicitas et organizatio interpretationum delirantium. 2° Absentia hallucinationum. 3° Persistentia luciditatis atque mentalis activitatis. 4° Evolutio interpretationum per progressivam extensionem. 5° Incurabilitas absque debilitatione intellectuali.

Semel præconcepta idea, ægroti tribuunt cuicumque accidenti, verbis, eventibus, notitiis, etc., significationem realem et expresse enucleantem vel confirmantem phantasticum consilium vel chimericam cogitationem infirmi. In lectione ephemeridis cujuscumque, congregat ex varis columnis litteras vel sillabas necessarias ad efformandum verbum, quo exprimatur idea ejus præconcepta.

Hujusmodi infirmi mundum novum sibi efformant cui aptare intendunt mundum exteriorem.

Quod mirabilius apparet in hisce interpretatoribus est, luciditas intellectualis, mentalis activitas et potentia dialectica, quæ, non obstante inordinata phantasia, subsistunt. Illi ratiocinantur intra circulum idearum fixarum, summa correctione, forma litteraria, ac dialectica, quin interdum appareat primo intuitu sophisma.

Interpretatio infirmi valde roboratur plurimis ratiociniis

diversi ordinis, nempe, persecutionis, mystici, erotici, hypochondriaci, etc. Deliria hæc plerumque reactiones noxias determinant. In evolutione infirmitatis, ut exceptio singularis, notatur absentia absoluta hallucinationum.

Delirium interpretationis est quædam psychosis degenerativa, quam liberam prorsus concipimus ab omni cursu et termino dementiæ.

Quoad **statum mentalem** et **moralem responsabilitem** sæpe standum est pro influxu absoluto ideæ pathologicæ, in quæstionibus ad delirium attingentibus.

Quoad **thera euti am**, *delirium* interpretationis est omnino incurabile, juxta Magnan et Sérieux. Suadenda est permanentia in domibus propriis infirmorum, dum ipsi pacificos se ostendant; et melius adhuc, si in quadam colonia familiari permanere possent. Nequaquam adeundum frenocomium seu asilus proprie dictus vel stricte acceptus.

Delirium revindicationis. Hæc forma clinica, quæ in regione mentalis degenerationis apparet, determinatur his characteribus: agitur de exaltatione intellectuali cum prædominio exclusivo ideæ fixæ, quæ absolute dominatur in universis spiritus regionibus, ita ut idea obsessiva constituat totam activitatem et directionem aperte pathologicam.

Revindicatores vel persecuti-persecutores justitiam obtinere volunt, causa damni ipsis adlati, prorsus imaginarii. Volunt ut hostes politici, domestici, litterarii omnino debellentur et propria idea vel sensus triumphet, etiam ad media violenta seu homicidium perveniendo.

Psychologice inspecti, hujusmodi subjecti, nec hallucinationes nec conceptiones delirantes habent; vera gaudent luciditate, sed idea obsessiva eos dominatur usque ad exaltationem intellectualem, fere constitutionalem, cui respondent quædam reactiones characteristicæ. Delirium revindicationis est delirium reactionis; id est, delirium insequens exaggerationem paroxysticam quorumdam statuum intellectualium. Revindicator, dum opus sit, totam ejus fortunam, salutem, vitamque sacrificavit propter ejus ideæ adimpletionem.

Lucem confessario proferre potest sequens classificatio:

Revindicatores distinguuntur in ambitiosos, inventores, judicialiter coactos, eroticos, invidiosos, mysticos atque politicos (anarchistas).

Status mentalis et moralis comparatur statui interpretantium, quamvis restrictio quædam facienda occurrat, nempe, limites assignare obsessionis pathologicæ vel obsessionis normalis; ut consuli potest in capite *de obsessionibus*, et simul prae oculis habenda doctrina de *voluntario in causa*.

Therapeutica debet esse moralis ac physica. Numquam, nisi rarissime, adeundum internatum vel asylum censemus. Dicandi sunt ad labores manuales; si alias inordinationes exhibent psychicas, commendentur balneæ lotiones, hypnotici vel narcotici, quibus sedatur exaltatio intellectualis.

LIBER TERTIUS

DE PERTURBATIONIBUS EMOTIVIS

CAPUT I

DE MORALI EMOTIONUM PATHOLOGICARUM GRAVITATE AC CONSEQUENTIA

Terminus «emotio» in usu ordinario psychologiæ contemporaneæ sibi vult antiquas «animæ affectiones». Revera, vita humana moralis et socialis est fere tota emotiva; adhuc intellectualistici magis oppositi influxui emotionum, sunt reapse earumdem victimæ. Unde:

Natura emotionis. Nec psychologia neque physiologia sejunctæ exhibent nobis conceptum formale et adæquatum emotionis; conjuncte, tamen, præbent justam notionem cunctorum emotionis phænomenorum.

Doctrina psycho-physiologica emotionis, juxta observationes et comprobationes a W. James et Lange factas, ita statuitur:

1° Emotio non est nisi transmutatio sensibilis et conscientia phænomenorum organicorum, quæ eam comitantur et veluti effectus ejus considerantur.

2° Emotio differt ab emotione juxta quantitatem et qualitatem statuum organicorum et juxta eorum combinationes.

Nos, vero, naturam emotionis sequentibus enunciationibus patefaciemus:

1° Hodiernum verbum «emotio» expressum fuit ab Ari-

stotele et scholasticis sub nomine *passionis, affectionis animi*. Revera est manifestatio quædam appetitus sensitivi et ideo, quid dependens ab organismo.

2° *Emotio est naturæ sensitivæ*; nam est communis homini et animali. In animali potitur dumtaxat characteribus sensitivis, id est, absolute ligatur processibus organicis. In homine, plerumque servat relationem cum elemento intellectuali. Hac de causa difficultatibus scatet determinatio vel distinctio elementorum spiritualis et sensitivi in actibus vel phænomenis voluntatis, emotionis vel compositi.

3° *Emotio in homine sæpe est spiritualis.* — Præfata enunciatio, nihil asserit vel concludit contra naturam sensitivam emotionis, dum admittatur factum, vi cujus emotio in homine adjungitur processibus cognoscitivo et appetitivo spiritus. Theorice faciliter distinguuntur imago et idea, appetitus et voluntas, sensus et intellectus; singuli enim proprios et incommunicabiles characteres habent; practice vero maximam secum fert difficultatem ob intimum commercium eorumdem elementorum. Patet, tamen, eorum distinctio.

4° *Basis physica et mechanismus emotionum est in encephalo.* — Fere ab omnibus recentioribus admittitur, ut videri potest apud W. James, Ribot, Hoffding, Féré, Sergi, Sikorski, Kræpelin, Chaslin et alios.

Lange originem phænomenorum emotivorum in excitationibus centri vasomotoris esse existimat. Psychologia admittit centrum doloris et voluptatis, commune affectionibus ab organis et textibus provocatis. Discrepant auctores quoad situm, nec interest id determinare, nam nulla emotio situm habet specialem in encephalo. Complexitas cujuscumque emotionis commonstrat hanc indigere concursu plurium centrorum cerebralium vel infracerebralium. In mente hoc retine: origo emotionis potest inveniri in visu, auditu, tactu vel in cunctis simul. Opus ergo non est situm emotionis inquirere; agitur enim de actione sinergica plurium centrorum.

Sergi admittit, centrum emotionale non esse cerebrum proprie dictum, et basim psychismi, sed medullam oblongam. Basis psychica emotionum est peripherica, veluti basis sen-

suum organicorum, quia utraque producitur per nervos peripherícos systematis cerebro-spinalis ad sympaticum associatos.

Emotiones pathologicæ. Præmissis notionibus circa imaginem pathologicam in capite *de obsessionibus*, perfacile instituitur diagnosis in casibus particularibus. In praxi, subjectus exhibet characterem specialem, sive in constitutione, sive in intensitate, duratione vel dispositione infirmi.

Ad casus quos clinica offert diagnosticandos, argumentum potissimum est *sensus*, nam hic exhibet relationes et anomalias notabilem inordinationem et profundam infirmitatem faciliter accusantes. Hisce in subjectis aliquando deest omnino sensus, aliquando vero celeriter degenerat in passionem pathologicam. Ambo extrema sunt frequentia, præsertim amissio vel exaggeratio sensuum moralium, religiosorum, esteticorum et intellectualium.

Amor pathologicus est forte potissima ac transcendens emotio. Amor potest esse pathologicus? Amor ut actus specificus voluntatis spiritualis nequit esse pathologicus; quatenus vero per organismum manifestatur et centris nerveis unitur, utique, est capax alterationis plus minusve gravis; et maxime cum agatur de *sensibilitate affectiva*, quæ plerumque a publico indocto confunditur cum *amore* stricte sumpto.

Si perpendere vellemus statisticam criminum hodie et semper in mundo commissorum, facillime comprobaretur majorem illorum partem vel numerum amoris causæ adscribendam fore. Amor iste sensibilis respondet alterationibus vasomotoris, quæ simul possunt produci summa cum facilitate.

Hac de causa supra innuimus, *crimina amoris* jure expostulare aliquam indulgentiam tum ex parte confessarii, tum ex parte magistrati, nam etiam amor physiologicus est susceptibilis profundæ attenuationis.

De amore pathologico nihil addendum, liquet enim ex dictis quænam responsabilitas inferri possit subjectis.

Effectus emotionis pathologicæ in facultates psychicas. Classicus auctor Ch. Féré, in opere *Pathologie des émotions*, has habet sententias circa effectum emotionum pathologicarum in facultates psychicas et morales.

Emotiones pathologicæ veram habent actionem in cursum evolutionemque infirmitatum nervearum. Similes ægritudines, quandoque accusant exaggerationem exaltativam, quandoque vero exaggerationem depressivam. Vocentur mania, melancholia, hysterismus, neurastenia; nuncupetur epilepsia, certum est, quod fere totalitas nervearum vel mentalium infirmitatum aperte manifestentur per præfatam emotionem.

Inordinationes imaginationi, memoriæ, associationibusque idearum convectæ ab exaggerationibus emotivis, supra numerum sunt. Vita psychica et vita mentalis individuorum evolvitur intra relativam normalitatem in repræsentationibus, in impulsionibus atque in sensibus seu affectionibus. Maximi auxiliares vitæ intellectualis sunt imaginatio, memoria et associatio. His graviter perturbatis ob emotionem, conscientia apparet confusa, intellectus absque ideis neque associationibus, et voluntas vel summe exaltata vel profunde depressa. Aperte liquet ex dictis, responsabilitas moralis nam actiones commissæ sub exclusivo influxu emotionis seu transmutationis pathologicæ, revera inculpabiles censendæ sunt; ceteræ vero sunt responsabiles sive *in se* sive *in causa*. Emotivitas pathologica sæpe efficaciter corrigitur diligenti autoeducatione et voluntate gratia supernaturali fulcita.

CAPUT II

DE PRÆDISPOSITIONIBUS PATHOLOGICIS

Status quæstionis. In corporis infirmitatibus plerumque accidit, quod homo pronior cæteris existat, qui infecciones, intoxicationes, contagia, aliasve organicas perturbationes patiatur; pariter contingit sæpenumero in mentalibus ægritudinibus: dantur quædam prædispositiones, id est, «quidam status higidi-morbosi, qui naturam ad infirmitatem inclinantes, accessibiliores influxui provocationum occasionalium nos reddunt» (Jaumes).

Juxta majorem vel minorem receptivitatem et resistentiam, aptitudinem et prædispositionem, homo est responsabilis actuum suorum. Prædispositio graviter pathologica ad infirmitatem mentalem notabiliter minuit conscientiæ resistentiam; idcirco ejus effectus clinicus necessario gradum moralis responsabilitatis attingit.

Doctrina de prædispositionibus pathologicis agens, præstans invenitur in theologia morali et maxime confessariis commendatur; quippe quod plures ad eos accedunt degenerati, qui germen hereditarium vel psychicam debilitatem ferunt.

Doctrina generalis. Immunitas definitur a physiologis: «resistentia quæ exurgit ex corpore viventi adversus causas infirmitatis provocatrices» (Jaumes). Directe susceptibilitati necnon vulnerabilitati ac prædispositioni opponitur.

Immunitas est vel *naturalis* quum procedat ex specie, stirpe et individuorum idiosincratia, vel *acquisita* quum ope habitus homo eam possideat; vocatur quoque *immunizatio*. Conceptus immunitatis est potius positivus quam negativus,

nam essentialiter constituitur a statu maximo robore prædito, qui inde summa resistentia fruitur. Est ergo quid intrinsecum naturæ.

Immunitati evidenter opponitur prædispositio. *Receptivitas, aptitudo* et *susceptibilitas* morbosa sunt verba nimis generalia; notio *prædispositionis*, secus, est præfatis utilior, tum quia determinate in clinica quemdam gradum morbosæ susceptibilitatis prodit, tum quia valet ex se, seu suapte natura, ad gravem infirmitatis statum perducendum. Prædispositio proprie non est infirmitas, ut fert tota Montpellier Schola; sed vi ipsius, levis causa infirmitatem provocare seu determinare valet, quam alioquin minime extra causas eam educere nequiret.

Prædispositio quemadmodum et immunitas nequaquam referuntur ad universas infirmitates; ambo quidem sunt locales vel partiales. Possibilitatem nihilominus generalium sive prædispositionum sive immunitatum minime infitiamur, sed libenter eam admittamus.

In organismo datur locus *minoris resistentiæ*; in psychismo, seu clarius, in affectionibus, in sensibus seu in passionibus humanis, tum conjunctim tum divisim acceptis pariter, reperiuntur *loca minoris resistentiæ*, qua ingrediuntur elementa pathogena perturbationem mentalem vel psychicam determinantia.

Facta clinica ac moralia. Juvenis avide quærit objectus inhonestos ad concupiscentiam fovendam; per januæ rimas cupide respicit ut sorores vel ancillas impudice videat; libros, picturas, ephemerides ac fabulas immorales vehementer perlegit et morose in mente retinet quidquid eroticam passionem fovet. Evidenter influit in evolutionem hujusmodi phænomenorum prædispositio individualis seu idiosincratia subjecti.

Homo qui laute vixit ab infantia et omnia sensibus ac passionibus corporis et animi libenter concessit, difficulter provocationes sexuales necnon mollities devincet, nam pravæ educationis causa summa debilitate psychica laborat; et ideo est subjectus prædispositus.

Filius enascitur de parentibus graviter infirmis; cellulæ

idcirco ovularis et spermatica insufficienter conjugationem efficiunt, defective nutriuntur et incomplete virtualitatem elementorum evolvunt; unde oritur debilitas constitutionalis graviter prædisponens ad debilitatem psychicam.

Universa clinica teste, plures dantur psychoses constitutionales et acquisitæ latentes, quæ extra causas manifeste apparent ope ægritudinum, infectionum, intoxicationum aliorumve elementorum actione. Inter eas præcipuum locum occupant, ut visum fuit in Lib. I, traumatismus, infirmitas chronica gravis, gutta, diabetes, syphilis, tuberculosis, alcoolismus, senectus parentum atque ipsorum onanismus et interdum eorumdem consanguinitas. Præfatæ ægritudines maxime influunt in degenerationem naturæ, ut perspicue ex se patet.

Status mentalis prædispositorum. Generatim inæquilibrati, hereditarii atque degenerati, utpote prædispositi, secum ferunt ab infantia vel a pubertate notabiles anomalias sive intelligentiæ sive characteris sive sensus moralis. Hujusmodi anomaliæ permanentes constituunt signa per quæ prædispositio revelatur, individualitas psychica subjecti firmatur atque status ejus mentalis habitualis dignoscitur. Degenerati, inquiunt Magnan et Legrain, sunt infirmi ab origine, *ab ovo*; eorum stigmata constitutionalia, semper et in omnibus naturæ vacuitatem seu defectum ostendunt.

Prædispositorum judiciis, assertionibus, diversisque mentalis activitatis manifestationibus desunt pondus ac mensura, quæ ordinarie adsunt in cerebris normalibus.

Quod ad elementum morale attinet, prædispositi crebro sunt summe impressionabiles et excitabiles, impulsivi ac debiles egestate psychologica, laborantes, actibus violentiæ facile accesibiles et ob naturalem nervei systematis compensationem, tristitiæ, desperationi ac melancholiæ propere se tradunt. Nonnulli apathia usque ad inertiam laborant; eorum affectus sunt artificiales, inconstantes, pueriles et ab omni prudentia destituti; voluntas eorum sæpe confunditur cum appetitu sensitivo et spiritus facile autosuggestioni subjicitur.

Prædispositi, tandem, quamvis initialiter, iisdem subjiciun-

tur defectibus quibus laborat quis quum ægrotus fit. Itaque prædispositus ad erotismum, quasdam experitur impulsiones vel excitationes postea explendas; prædispositus ad obsessionem, ad instabilitatem mentalem vel ad quamqumque animi perturbationem, antequam aperte determinetur ægritudo, initialibus stigmatibus ipse signatur; tamen libertate fruuntur quemadmodum et conscientia; idcirco ut responsabiles, in genere, habendi sunt. Admittitur quædam attenuatio ob intensiorem pronitatem naturæ ad actum.

CAPUT III

DE CHARACTERIBUS PATHOLOGICIS MANIÆ

Mania distinguitur per accelerationem processuum psychicorum læta tonalitate comitatam, ut videre licet apud A. Remond. Symptomata cardinalia maniæ sunt: læti humoris exaltatio, gravis excitatio psychomotrix et quædam specialis perturbatio representationis cum fuga idearum (W. Seiffer). Kræpelin vult characterem typicum maniæ in extraordinaria irritabilitate processuum psychicorum individualium sistere. Chaslin inquit, maniam essentialiter distingui per amplitudinis augmentum, per exaltationem, excitabilitatem et instabilitatem emotionum cum intellectuali excitatione atque agitatione. Trenel maniam definit, veluti syndrome characterizatum per statum exaltationis psychicæ et motricis agitationis, unitum ad statum cenestesicum gratum et ad fugam idearum, quæ per logorream plus minusve incohœrentem manifestatur. Esquirol eam considerabat veluti affectionem characterizatam per perturbationem et exaltationem sensibilitatis, intelligentiæ et voluntatis. Baillarger, denum, iisdem terminis utens, eam veluti excitationem generalem et permanentem facultatum intellectualium et moralium definivit.

Symptomata. Minime constat adhuc maniam esse specialem infirmitatem a dementia distinctam, licet plura reperiantur facta ejus formam independentem commonstrantia. Hodie, nihilominus notum est apud omnes, plerosque casus inter maniaticos olim adnumeratos, ad paralysim, epilepsiam, confusionem mentalem et potissime ad quasdam precoces dementias reduci debere.

Generatim mania locum habet a pubertatis ætate usque ad quadraginta annos.

Quippe quod nostrum est tantum symptomata psychica perpendere, doctrinam rite comprobatam necnon personalem observationem consulentes, formas dumtaxat *maniæ acutæ* et *maniæ chronicæ* in studium evocavimus.

In ordine intellectuali, scribit Regis, character specialis maniæ acutæ est excitatio inordinata, quia functiones ejus ab actione frenatrici voluntatis substrahuntur. Inde insequuntur necessario incoherentia atque idearum fuga; hyperactivitas automaticæ associationis repræsentationum mentalium, quæ in ægrotis associationes extraordinarias determinant.

Quodlibet verbum vel præsentia determinatæ personæ, promovet in maniaticis quasdam associationes prorsus verbales quin nitantur in re neque in vera relatione vel analogia. Quivis objectus ipsis inservit ad phantasticos conceptus levandos. Hallucinationes atque profundas illusiones patiuntur, præsertim in ordinibus sensoriali et mentali. Primo insequuntur sensuum hyperestesia et præcipitatio inconsciens infirmorum in responsis eorum. Illusiones mentales habentur ut consequentia automaticæ activitatis spiritus, et procedunt e celeritate impressionum et superactivitate associationis idearum.

In sermone existit incohœrentia, quæ magnam confussionem et idearum inordinationem revelat.

Status mentalis maniatici patefit irritabilitate, impossibilitate atentionem adfigendi; uno verbo, automatismo cerebrali.

Quod asseruimus de intellectu, idem asserendum est de voluntate et de statibus affectivis. In ordine affectivo, omnia reducuntur ad inordinationem activitatis, seu clarius, ad continuam emotionum mutationem, ad transformationem passionum et affectuum. Infirmi, nunc flent, nunc rident; sunt dulces, læti, affectivi, iracundi ac furiosi, atque statum summa facilitate mutant.

Instinctus genitalis in ipsis maxima exaltatione frequenter revelatur, usque ad extremos excessus sexuales.

Prouti consequentia hujusmodi agitationis in ideis et sensibus, activitas infirmi sese offert maxime inordinata. Infirmi continuo moventur, gesticulantur, canunt, vociferant; mulieres modo indebito et formis lubricis sese ostendunt. Hæ impulsiones, sunt consequentia naturalis movilitatis et continuæ agitationis ac renovationis impulsionum atque idearum.

In *mania subacuta*, quæ est gradus maniæ proprie dictæ seu typicæ, salva auctoritate Regis contrarium asserentis, symptomata sese offerunt fere ut in præcedenti.

Memoria est valde superexcitata, quamvis interdum satis fidelis existat.

Mania chronica distinguitur per indefinitam persistentiam et sub forma attenuata symptomatum maniæ acutæ. Dantur superexcitabilitas inordinata facultatum, hyperfunctio associationis cerebralis automaticæ, illusiones, logorrea, graphorrea incoherens, sed minor quam in acuta. Dementia in maniaticis chronicis videtur cum persona identificari.

Omittimus expresse cæteras maniæ formas, quia necessariæ non sunt ad dignosim mentalem et moralem infirmorum.

Intra crisim excitationis maniacæ, ait P. Blin, cunctæ modalitates intellectuales et physicæ, cuncti sensus affectivi possunt exacerbari; nam hujusmodi status distinguitur per incoordinationem actuum, idearumque atque per irritabilitatem morbidam.

Maximum habet dominium in statibus maniaticis, eretismus in centris psychomotricibus, quoad diversitatem graduum.

Si quæstionem maniæ ad compendium brevissimum reducere vellemus, hæc cum Krafft-Ebing proferremus: status pathologici maniæ requiescunt super alterationes formæ passionalis, quæ conscientiæ revelantur sub forma excitationis psychicæ vel sub forma melioris status psychici.

Infirmus nequit comprehendere naturam pathologicam ejus status.

Inordinatio mentalis, ut supra innuimus respondet rapiditati qua operatur evolutio processuum psychicorum, quos sequuntur plures perturbationes in reproductione, associa-

tione imaginum, idearum atque emotionum, et in transformatione laboris muscularis. Ex congerie inordinata impressionum et perceptionum oritur perturbatio atque inordinatio actuum.

Ex quibus fit ut maniaticus in cunctis ejus statibus, maximam mentalem et moralem confusionem revelet.

Therapeutica. Nulla datur medicatio specifica pro mania acuta. Quodcumque sit principium ætiologicum, duplici hac indicatione dirigitur therapeutica maniæ: 1.º Accidentia prævenire quibus infirmus sibi aliisve nocere posset ratione excitationis; 2.º Inutilem reddere hanc excitationem mediis appropriatis et roborem et reparationem præbere organismo infirmi.

Maxime commendatur *systema hydrotherapicum*, hodie forte efficacius in subjectis plenitudine vitæ fungentibus. Vide caput de therapeutica nervea et mentali.

Excitatio physica et intellectualis, insomniumque, quod status maniaticos characterizat ope sedativorum nervei systematis minuitur. Itaque in praxi præscribitur opium sub forma facili *laudani de Lydenham*, dosibus progressivis, id est, a minima ad maximam; cave tamen consulendi opiacium medicamentum ægrotantis in visceribus, cerebro, etc., male laborantibus. *Chloral* est optimum inter hypnoticos. *Bromurum potasii* et perplura quæ in pharmaciis facillime reperiet lector.

Medicatio tonica est præstantior cæteris sæpenumero, quia hyperactivitas psychophysica secum fert quoddam furtum phosphatuum seu superabundantem eliminationem eorum e centris nerveis; quod revera vitatur per reintegrationem vel renovationem textilium ope tonicæ medicationis.

Æque commendatur *medicatio hygienica*, omnino necessaria quoad nutritionem, habitationem et exercitium physicum intellectuale et morale.

CAPUT IV

DE STATIBUS MELANCHOLICIS

Præsens infirmitas ordinarie procedit ex perturbationibus affectivitatis. Non ideo facile determinantur factores somatici ad ejus genesim contribuentes, nisi nutritionem organicam et desintegrationem cerebralem non sufficienter compensatam, numeremus.

Nihilominus, status melancholici veluti cœteri qui sunt naturæ psychicæ, provocant perturbationes organicas, textus alterando et cellulas ac functiones nerveas perturbando.

Læsiones melancholiæ sunt parum notæ; tamen tradere possumus quasdam alterationes viscerales potissime læsiones organorum abdomenis valde comprobatas.

Demum perventum est, sub nomine autointoxicationis ad ideam veneni præbitionis organismi ab humoribus. «Possibile est, ait Regis, hanc intoxicationem traduci per læsiones viarum nervearum, simul ductricis sensibilitatis visceralis, hoc est, systematis sympatici.

Anatomia pathologica, insuper, accusat in nonnullis statibus melancholicis anemiam, hyperemiam, ædema cerebrale, modificationes cellularum quæ sunt in cortice, quæ itidem fiunt spæricæ, granulosæ, cum nuclei variationibus, et læsiones difusas nervei systematis (corticis et medullæ).

Doctor L. Marchand in recenti studio ex variis experientiis circa melancholiam confecto, has formulavit conclusiones: psychosis melancholica sequitur anemiam centrorum nerveorum, quæ est in encephalo et forte in medulla; rarissime evenit congestio; pia mater et cortex sunt ædematosæ; venæ sese offerunt prolatas et arteriæ reductas. Quoad læsiones viscerales, invenit auctor, quod jecur patitur sive congestionem,

sive degenerationem granulosam adiposam, sive hypersecretionem biliosam. Numero 80 per 100 melancholici moriuntur tuberculosi.

Aliæ factæ fuerunt experientiæ, quibus clare perspicitur, statum melancholicum conjungi cum læsionibus elementorum nerveorum, præsertim in lobulis frontalibus et in zonis motricibus, absque læsionibus vascularibus.

Tamen concludendum est hystopathologiam carere, adhuc factis atque experientiis, ut perfectam diagnosim instituat erga phænomena melancholica.

Formæ præcipuæ melancholiæ. Inter varias divisiones ab auctoribus adductas, hanc André Thomas seligimus: Melancholia *cum delirio*, melancholia *anxiosa*, melancholia *cum stupore* et *depressio melancholica.*

Melancholia cum delirio. Est eadem ac melancholia acuta Regis et in eo sistit, quod fert majorem intensitatem delirii autoacusationis, per culpabilitatem in actionibus, in cogitationibus atque in desideriis ostensam. Frequentibus hallucinationibus sensorialibus subjicitur.

Delirium est consequentia logica statuum cenestesicorum in infirmis; ita ut eatenus intensior sit perturbatio, quatenus gravior status cenestopathicus. Hypochondriacæ præocupationes sunt variabiles quemadmodum dispositiones subjecti. Quia frequenter eam comitantur hallucinationes religiosæ, aliqui cognominavere *melancholiam religiosam.*

Melancholia anxiosa. Elementum ejus fundamentale reperitur in perturbatione cenestesica, quæ præbet infirmo sensationem mutationis personæ vel exterorum objectorum. Hic status provocat ac determinat quamdam animi ægritudinem *anxietatem* cognominatam.

Melancholici anxiosi distinguuntur, ob eorum specialem constitutionem emotivam, per constantem agitationem externam atque internam; per illusiones et hallucinationes conscientiam perturbantes vel notabiliter modificantes; per quædam deliria supersticiosa, maleficii et transformationum

irrationalium et extravagantium; per actitudinem mimicam, gesticulationem, agitationem atque speciales exclamationes. «Eisdem conjungitur plerumque excitatio sensualis.» (Cullerre.)

Melancholia stuporosa. Per diametrum anteriori oppositus, subjectus hujusce melancholiæ manet veluti immobilis, absque physonomica expressione, incapax ostenditur cujusvis resistentiæ; solitudinem quærit et dumtaxat est in executione cogitationis sese obsidentis.

Natura et characteres hujusmodi status in compendium redegit Esquirol his verbis: «Sensibilitas in unum objectum valde defixa, videtur cuncta organa corporis amissise; corpus permanet indifferens ad quamlibet impressionem, dum spiritus fertur ab unico tantum objecto, attentionem absorvente et exercitium cæterarum facultatum intellectualium suspendente. Immobilitas corporis atque incommobilitas physonomiæ, et silentium obstinatum, revelant acerbam cohibitionem intelligentiæ atque affectuum. Hic dolor non manifestatur per motus, lamentationes, vociferationes vel planctus; sed est dolor præ cæteris crudelior, latet in anima et nullo modo expanditur nisi per interiores et amaras lacrimas.»

Depressio melancholica. Comprehenditur quoque sub nomine *conscientiæ* et manifestatur præcipue per statum tristitiæ, animi demissi ac depressionis. Nuncupatur, etiam, juxta casus particulares, hypochondria moralis, melancholia misantropica, melancholia perplexa et melancholia abulica. Præfatis symptomatibus cooptuntur plerumque ideæ vel imagines fixæ, obsessivæ, scrupula et nonnullæ præocupationes pathologicæ.

Infirmi ordinarie conscientiam habent proprii status et possunt *efficaciter* elementis seu agentibus hostilibus resistere.

Symptomata communia. Generatim symptomata infirmitatum omnium habent *periodum initii* et *periodum status*. In prima periodo, perturbationes sunt leves, aliquando graves et integritas rationis ac conscientiæ fere completa. In alte-

ra periodo *status* agentes pathogeni graviorem perturbationem organismo, sensibilitati atque activitati inferre possunt.

In ordine physico melancholici insomnium patiuntur hallucinationibus plenum. Sensibilitas generalis est valde obtusa; sensus particulares lente operantur, et integra vita videtur plus reflexus organicus, quam functio psychica. Sentiunt tamen dolores in capite et incommoda status ægritudinis. Respiratio est difficilis ac incompleta; cor minori energia pulsat; perturbationes inervationis vasomotricis sunt frequentiores, unde oritur quædam autointoxicatio ex pravis conditionibus viscerum abdominalium. Hinc series organicarum perturbationum, quæ consequentia naturalis hujusmodi intoxicationis sunt.

Symptomata quæ in elemento psychico reperiuntur perfacile invenies, dum in mente habeas, benevole lector, melancholiam esse essencialiter affectivam et emotionalem.

Melancholia est infirmitas cenestopatica; infirmi maxime dolent, quod libere ac normaliter cogitare non possint, neque impressionibus, neque judiciis, neque sensibus ac voluntate gaudeant sicuti cæteri fruuntur.

Activitas in melancholicis, distinctas habet manifestationes et signa secundum quod agatur de periodo exaltationis vel de periodo depressionis. Postremi totum mærorem in propriis visceribus infigunt, animam amaritudine replent et apparent velut imagines passivitatis. Primi vero, e contra, anxietatem exterius produnt formis violentis agitationis, sive in physonomia, sive in emotionibus et in cunctis externis manifestationibus.

Status mentalis melancholici. *Intelligentia* infirmi valde reducitur et intra paucas cogitationes ægre evolvitur. Omni sensu practico privatus, spiritus iter facit de idea ad ideam, de imagine ad imaginem, ita ut conscientia artificialis efficiatur et facile perturbetur.

Memoria utpote dependens ex voluntate et attentione est infidelis et satis diminuitur. Attentio voluntarie in paucis tantum defigitur. Genus sensuum spiritum dominantium sunt tristitia, tædium, etc., ex quibus gignitur sensus doloris

et summus pessimismus. In desperationem delapsi credunt animam propriam in infernum detrudendam esse. Omnia ipsis apparent sacrilegia; ubicumque vident Dei indignationem et hominum persecutionem. Uno verbo: intelligentia valde descendit causa affectivitatis pathologicæ, quæ fere totum contentum invadit et ob acerbam depressionem oneri succumbit, et quamvis modo transitorio, fere cerebrum inutilem reddit.

Voluntas melancholici necessario influitur a tristitia morbosa, profunda, abjectione animi comitata et potentia atque energia morali privata. Status affectivi, qui symbolicum signum statuum spiritualium voluntatis constituunt, sunt notabiliter perturbati, omni sensu destituti, ad omnia indifferentes, absque affectu erga domesticos; ast aliquando exaltati cum phantasticis imaginibus in cerebro constanter operantibus.

Voluntas utpote sequens intellectum, minimum habet radium actionis; id est, quiescit in paucis a phantasia creatis, a superbia nutritis, quæ latet intus et in cute infirmi.

Conscientia perturbationes consequentes præfatam ideationem et affectivitatem patitur. Initio infirmitatis perfecte distinguitur character moralis et rationalis conscientiæ; ast progressu infirmitatis perturbatur sensibilitas, obnubilatur intelligentia et a via deflectit voluntas. Quo augetur confusio mentalis et defigitur anormalis, conscientia profundas alterationes ac transformationes patitur, quibus fit, ut legem clare non percipiat et judicia practica apprime non formulet.

Responsabilitas moralis. Non indistincte judicandum in quæstionibus responsabilitatem moralem attingentibus, nam dantur gradus responsabilitatis quemadmodum dantur gradus malitiæ in actionibus. Status melancholicus, ex se, non auffert sufficientem luciditatem cognitionis et conscientiæ nec libertatem voluntatis ad resistentiam; tamen, status vere melancholicus, ad minus, semper est attenuans responsabilitatis. Cum gradus pathologicos acquisierit, seu notabiliter spiritus a realitate abstrahatur, tunc difficillime ad gravitatem actio a melancholico exercita perveniet.

Responsabilitas dijudicanda est a congerie circumstantiarum, conditionum, antecedentium ac constitutionis infirmi, nam juxta majorem vel minorem pronitatem, censenda est culpabilitas infirmi. Confessarius judicet ac distinguat juxta symptomata adducta et propriam scientiam.

Therapeutica. Duplicem medicationem expostulat melancholia: primam generalem ad cunctas formas spectantem; secundam specialem seu particularem ad singulas formas enumeratas attinentem. Animadvertendum est, quod non agitur hic de melancholia quam patiuntur reclusi in phrenocomio; sed de ea, quæ absque occlusione, est compatibilis cum cohabitatione domestica.

Melancholicum, in genere, huic medicationi subjiciendum esse opportunum censemus: Placandum systema nerveum et levandam depressionem consulimus; in melius progrediatur status nutritionis; adversus insomnium rite colluctetur.

Nerveum systema notabiliter sedatur requie in lecto seu *clinotherapia*, ut omnium fert sententia. Positio horizontalis apprime juvat circulationem cerebralem atque circulationem generalem. Commendantur quoque balnei magnæ protractionis vel durationis.

Psychotherapia efficaciter operatur in hoc genere infirmitatum, præsertim *oblectatione psychica* et optimismo. Sit optimista directio spiritualis confessarii; optimista conversatio familiaris domesticorum et optimista tota moralis influentia in ipsum.

Quoad singulas melancholiæ formas, sequentia suademus: *Melancholiam simplicem cum conscientia* medetur, physice, vires infirmi reintegrando requie in lecto, aeratione, deambulatione et processibus hydrotherapicis. Consulenda psychotherapia.

Melancholia anxiosa expostulat in primis diminutionem doloris physici et moralis infirmi. Experientia teste, optime operantur injectiones *chlorhydrati de morphina*, vel *laudani*, quantitate progressiva a quinque guttis incipiendo, interius applicati. Hodiernis temporibus commendatur quoque *pantopon* rite et caute traditum. Non spernenda hydrotherapia.

Melancholiæ persecutoriæ, moraliter medicandum est magna cum suavitate atque affabilitate. *Physice* procuranda est alimentatio, et nutritio infirmi. Hydrotherapia non consulenda nisi in periodo convalescentiæ.

Melancholia stuporosa percutitur medicamentis revulsivis et derivativis, ut sunt vesicatorii et purgativi. Veram habent efficaciam, quandoque contra anæsthesiam, et analgesiam, electricitas, et urticatio. Consulendus interdum balneus sinapizatus. Ast potissime, suadenda psychotherapia cum solida nutritione.

De melancholia senili et præsenili. Nomen melancholiæ præsenilis creatum fuit a Kraepelin, et consignatum in ejus opere *Psychiatria*, in quo constat nomine *melancholiæ involutionis*. Facta omissione de controversiis habitis inter auctores, hæc tantummodo innuimus quæ ad nostrum propositum spectant.

Quæ referuntur ad phænomena præsenilia, quatenus ad sexualitatem attinent, non hic, sed in *libro IV* evolventur, in capite de *ætate critica seu menopausia*. Sit ergo:

Ætiologia. Inter causas melancholiæ præsenilis, hereditas locum occupat principalem. Similiter menopausia in mulieribus et semiatrofia sexualis in hominibus sunt causæ quæ graves perturbationes producunt.

Causæ occasionales melancholiæ præsenilis et senilis plurimæ cernuntur, inter quas: summa debilitatio toni muscularis, ac intoxicatio ob excessum laboris physici et intellectualis organismum insequuta. Cellulæ cerebrales quamdam intoxicationem patiuntur, quæ profundam astheniam nerveam producit;et basis necessaria est hujusmodi melancholiæ.

Causæ morales sunt passiones, emotiones ac morales animi affectiones, organismum prædisponentes ad ægritudinem melancholicam.

Efficaciter influit, insuper, defectus functionalis viscerum, vi cujus elementum somaticum perturbatur. Hujusmodi phænomenon a clinicis vocatur *autointoxicatio*. Inter præcipuas autointoxicationes potissime adnumerantur *gastro-intestina-*

lis, læsiones *renuum* atque alterationes functionum *jecoris*.

Manifestationes hujusce infirmitatis sunt: sensus vel affectiones tristitiæ ac depressionis, ita graves, ut ad voluntatem et ad totum esse psychicum personæ trascendant.

Status mentalis. Initium sumimus, in primis, ab *obsessionibus* seu *ideis fixis*. Quamvis objective inspectæ, interdum sunt fere imperceptibiles, constituunt nihilominus, centrum operationis psychicæ et directionem psychologicam infirmi.

Generatim manifestationes melancholiæ in prædispositis difficile, eruuntur; si respondent somaticis læsionibus tantum eorum cursum, evolutionem et amissionem sequuntur.

Conscientia *deperdit notionem realitatis*, ex quo exordiuntur mille defectus in praxi vitæ individualis, vitæ domesticæ et vitæ socialis; uno verbo, *amittitur sensus comunis*.

Perturbantur admodum *perceptiva*; unde illusiones atque hallucinationes in ordine sensitivo; *ideatio*, ob gravem defectum in assimilatione et comprehensione conceptuum; *attentio*, quia læditur mechanismo cerebrali, quo exercetur attentio spontanea et attentio voluntaria. *Memoria* est lenta et infidelis ob agitationem propriam anxietatis.

Status moralis melancholici facile perspicitur, nam aperte cognoscemus ex dictis, notabilem diminutionem functionum psychicarum, inordinationes imaginationis, atque perturbationes affectivitatis, abuliam voluntatis et confusionem conscientiæ insequentes. Rarissime vero, ob solam hanc melancholiam datur absoluta irresponsabilitas.

Therapeutica inniti debet in symptomatibus somaticis, quippe quæ infirmitas oritur ex debilitate nutritiva ex amissione vel diminutione activitatis vitalis. Unde præscribantur medicamenta quæ functionibus organicis foveant ut sunt præparationes quinquinæ, vini et cafei.

Moraliter tractandus est infirmus maxima cum prudentia, ab omni excitatione et irritatione liber.

CAPUT V

DE FORMIS VARIIS HOMICIDII INCULPABILIS

Magni momenti sese offert præsens quæstio inter moralistas et medicolegistas. Hac de causa, opportunum videtur huic studere quod omnium refert et pathologiæ mentali interest.

Pinel (1755 - 1826) fuit qui primus in forma reposuit manias homicidas. Olim studia aliqua præcesserant circa transmissionem hereditariam et melancholiam quæ ad homicidium referebantur.

Esquirol autumabat omnem actum homicidii esse monomaniam. Ut patet, hæc doctrina fuit in omnibus amota et nullomodo inter juristas et magistratus admissa. Bariod in quadam thesi de *Etude sur les monomanies instinctives* (Paris, 1852) hanc theoriam impugnat.

Psychiatræ atque criminalistæ strenue contenderunt circa opiniones tribuentes omnem actum homicidam impulsioni pathologicæ, monomaniæ, epilepsiæ et hysterismo, seu doctrinæ docenti culpabilitatem proporcionalem gradibus conscientiæ et libertatis, quos comprehendit actus criminosus.

Principia moralia quibus nitimur asserunt dari actus homicidii, et est major numerus eorum, prorsus responsabiles, idest, qui exercentur cum conscientia et libertate. Dantur casus responsabilitatis attenuatæ, quemadmodum dantur quoque omnino irresponsabiles. Agimus nos in præsenti capite de semiresponsabilibus et de responsabilitate carentibus.

Doctor Vladoff in opere recenti *L'homicide en pathologie mentale* (Paris, 1911), methodum clinicam instituit satis practicam ad subjectum criminosum expendendum. Studet

psychopathologiæ subjecti *ante*, *dum* et *post* actum homicidii.

Quisnam status psychologicus immediate præcedit antequam actus exequatur? Quibus conditionibus et stimulis locum habet homicidium? Quesnam sensus ac remorsus habet subjectus semel crimen patratur? Hæ sunt notæ psychologicæ quæ maxime nobis necessariæ videntur.

Dispositio satis frequens in homicidis est delirium persecutionis. A simplici timore incipit, mediante seu favente obsessione prosequitur et demum exequitur forma infra innuenda.

Ilmotio persecutoria, aliquando morbidos characteres acquirit, imago obsidens, dum characterem gravitatis habeat, facilitate summa producit hallucinationem; ita ut delirium persecutorium gravem formam morbidam adipiscatur in obsessione ac in hallucinatione. Infirmus ubiquaque videt inimicum ipsum persequentem et contra ejus vitam et proprietatem conspirantem; magna proposita in propriam defensionem construit; ut medium unicum salvationis ipsi adest mors persecutoris; eam determinat et executionem parat.

Hos characteres pluribus in infirmis inveniemus si analysim instituimus de ipsorum statu psychopathologico. Hypochondriacus qui *vult* occidere medicum suum, *præmeditat* media adhibenda; credit enim venenum ipsi præbuisse vel malas tractationes contra ipsum ordinasse. Sponsus obcæcatus ab irresistibile passione zelotypiæ *vult* occidere virum, qui cum sponsa occulte loquitur et *consulto resolvit* utrum necandum sit cultro vel arma ignea. Hallucinatus qui credit se vocem Dei audivisse ei imperantem ut propter suum amorem et humani generis reparationem mortem sibi inferat, *vult* sese occidere et *consulto resolvit* formam, qua morti tradendus est ut gratior Deo sit.

Plures alii dantur casus in quibus perspicitur, quomodo possit actus esse consciens, præmeditatus et voluntarius et nihilominus omni responsabilitate carens propter erroneam conscientiæ informationem.

Pitres et Regis in opere de *Obsessionibus* atque *impulsionibus* triplicem gradum impulsionum admittunt, qui ra-

tionem reddunt illius status, qui in subjecto præcedit realizationem actus, quando hic ex impulsionibus procedit.

1° Impulsiones *motrices puræ* vel reflexi directi, in quibus actus immediate et fataliter stimulum sequitur, absque actione inhibitoria intermedia.

2° Impulsiones *psychomotrices* vel reflexi retardati, in quibus actus fataliter, sed non semper immediate sequitur stimulum cum intermediatione emotiva vel ideativa, sed absque gravi inhibitione.

3° Impulsiones *psychicæ* seu reflexi interrupti, in quibus stimulum inter et actum interjicitur medium ideoemotivum grave, complexum, colluctuosum.

In impulsione pure motrici datur simplex reflexus: typum habemus in idiota, imbecilli atque epileptico. Secundo impulsiones comitantur processione ideoemotiva. Conscientia ac memoria sunt totales et actus æstimatio est completa. Infirmus quin resistat, passive patitur vim eum compellentem, quamvis ipso renitente. E. gr. quidam degenerati, præsertim psychastenici, hysterici, epileptici in statu normali et maniatici agitati. Tertio, typus a Ball *impulsio intellectualis* nuncupatus, significat gradum magis attenuatum impulsabilitatis, quippe quæ pronitas ad reflexum oppugnatur per vim inhibitionis; crebro hæc posterior vincit.

Morselli in suo *Manuel de Sémiotique des maladies mentales* nonnulla nobis præbet facta ac principia, quæ mire inserviunt ut quis statum psychologicum subjecti, victimæ impulsionum ad homicidium cognoscat.

Distinguit, hic auctor, impulsiones juxta characteres sequentes: 1°, sunt *endogenæ*, seu e motivis exclusive internis derivatæ; 2°, sunt *fortes* et violentæ, quæ cito et faciliter agunt; 3°, producunt *aberrationes* vel notorias extravagantias; 4°, plerumque sunt *conscientes* atque *voluntariæ*. Actus quivis in his conditionibus exercitus, semper impulsabilitatem morbidam aliqno modo accusat.

Difficultas eademmet potest attingere voluntatem, quam conscientiam et judicium. In omnibus his casibus, dispositio quæ in subjecto præcedit non sufficit ad elaborandum

actum vere responsabilem. Ast, si subjectus potest laxe et libere colluctare, cum interpositione idearum et emotionum normalium, tunc difficiliter homo a responsabilitate liberatur seu privatur; existit enim quædam processio psychologica normalis, magnam vim inhibitoriam ei præbens.

Spectatus subjectus *dum* actus homicida perdurat seu exercetur, animadvertuntur in eo differentiæ ad inordinationem psychicam insequentes. Nonnulla homicidia patrantur sævitia et furore extraordinario, ut pluries vidimus in zelotis; alii locum habent summa cum frigiditate atque indifferentia. Hoc factum non spernendum in diagnosi morali: cum vox intima naturæ per sensus, affectiones et conscientiam non attestetur legem moralem seu existentiam sensus moralis, tunc aperte agitur de subjecto veram anæsthesiam seu insensibilitatem moralem patiente, idcirco, responsabilitas nulla est in foro conscientiæ; est quoddam monstruum naturæ humanæ.

Difficile tamen spoliatur homo a sensibilitate morali, natura intima reprobat quasdam sævitias, contra protestationes conscientiæ executas.

Cum homicidium insequatur impulsionem immediatam et parum retardatam, actus tunc ordinario est majori ferocitate ac violentia executus. Hoc accidit cito quod fluctus sanguinis obnubilat cerebrum et homo super victimam conjicitur, eam arripit et absque conscientia nec colluctatione sensuum seu affectionum moralium, belluino more, agit in victimam quidquid a passione imponitur.

Hoc genus ferocitatis frequens reperitur in epilepticis et quibusdam alcoolicis, æque ac in sadicis ob solam impulsionem excitationum genesicarum.

Post actum homicidii, delirantes systematici, persequuti, zelotes, magnam animi tranquillitatem ostendunt, quia putant se opus summe laudabile perfecisse. Positio melancholicorum satis differt ab illa, nam remorsus seu timor justitiæ fit ut seipsos accusent; unde sunt frequentes autoacusationes.

His præmissis et principiis statutis, nonnullas observationes psychopaticas tradere volumus quatenus moralistarum interest earum cognitio.

Intra status delirantes chronicos homicidæ persequutionis, moralista ac confessarius comprehendere debent infirmum pati influentiam falsarum interpretationum et hallucinationum, et ad systema reducere ideas delirantes et alias psychismi generalis perturbationes. Intimum mentale subjecti complectitur congeries imaginum et activarum emotionum, quæ revelantur per signa nunciantia inordinationem activitatis crimen perficientis.

Hæc omnia patefaciunt, quod infirmus secum fert magnum potentiale criminalitatis, quod violentum penetraliter manet usquedum ad actum reducatur. Intra hunc modum procedendi automaticum, quid homo deliberare circa formam et circumstancias opportuniores, quomodo crimen sit perficiendum; ita ut prævisa sint omnia, quæ accidere valerent. Hinc, in praxi, casus nonnulli reperiuntur mire præparati, in quibus difficultates prævidentur postea obveniendæ; quod non fit absque regulari ratiocinatione mentali.

Casus omnes quos adducere possumus relate ad homicidia pathologica perfacile dijudicantur.

En exemplum, quod, non obstante prima fronte pathologica, tamen est perfecte normale.

Agitur de puella quadam, ætate triginta annis, quæ cum fratre suo sacerdote et serva juvenili habitabat domum. Soror rem habuit cum juvene amasio, ex quo filium accepit, Illa quantum potuit, fecit ut frater suus nihil cognosceret; imo et ferreo thorace femineo curavit ut melius crimen occultum servaret. Demum ad diem partus pervenit, quin ejus fratri notum fuisset, hora qua hic extra domum versabatur, et servam ad populum proximum pretextu mandati misserat. Sola domi erat, cum partus valde acerbus locum habebat. Tunc intuens soror proprium dedecus ante societatem et fratris indignationem, cum ad notitiam ejus devenerit; ob has rationes et alias magni momenti filium natum occidit, eum suffocavit, et pannis involutum in locum immundum (W. Cl.) jecit.

Cum judex ab ipsa expostularet utrum filium baptizavisset, respondit nihil aliud se intueri illo momento, quam proprium dedecus, et illud vitandum credebat toto conatu.

Post paucum tempus, cum illa reposita fuit ab infirmitate, filium e loco immundo suscepit, et nocte, extra civitatem sepelivit.

Hoc in casu, nec obsessio, nec hallucinatio, nec emotio pathologica apparet ut a responsabilitate infanticidii commissi liberetur. Motiva honoris ac verecundiæ numquam, ex se, crimina similia justificabunt (1).

Inter cæteras formas homicidii pathologici memorare volumus quæ referuntur ad impulsionem *propter ideas melancholicas*, fatendum tamen est, quod sunt minus frequentes quam anteriores, id est, homicidii ob perturbationes persequutorias.

Status generalis in homicida melancholico consistit in perturbationibus emotivis, quæ basim psychosis constituunt. Ægrotus, generatim, ideas, illusiones, hallucinationes et interpretationes delirantes ad systema reducit. Victima hujusmodi ægrotorum est fere semper persona aliqua ex eis qui infirmum circumeunt vel illi assistunt, uti sunt filii, sponsa, servi, amici, etc. Ideæ vel emotiones, quæ ægrotum melancholicum ad executionem ducunt, multiplicis ordinis esse posunt.

Infirmus psychologiam valde versatilem præbet: cum homicidium locum habeat in periodo excitationis vel anxietatis, tunc potitur charactere reflexo; cum locum habeat veluti consequentia idearum delirantium rite inter se coordinatarum, tunc censetur seu judicatur homicidium voluntarium.

Quamvis clinice inspectum homicidium melancholicum gradus aliquos admittat, nihilominus, delirium melancholicum, melancholiam anxiosam, melancholiam persequutoriam, melancholiam intermitentem et melancholiam chronicam in eadem significatione mentali ac morali libenter includimus.

(1) Vide plures casus apud: Combes, *Annales médico-psychologiques*, 1876, a. II; Krafft-Ebing, *Médecine légale des aliénés*, Paris, 1911; Legrand du Salle, *Médecine légale*; Blanche et Motet, *Annales médico-psychologiques*, 1872, I; P. Garnier, *La folie a Paris;* Jaffray, *Bulletin médical*, juillet, 1904; Vallon, *Rev. de méd. lég. et de jurispru. méd.*, 1895; R. Leroy, *Thèse de Paris*, 1896; Pelegry, *Thèse de* Paris, 1886.

Nihil addendum putamus circa homicidium *ob ideas hypochondriacas*, quia rarissime ocurrit. Nomine hypochondriæ venit, quædam neurastenia ob perturbationem jecoris et stomachi. Ideæ hypocondriacæ cum aliis delirantibus faciliter sociantur.

Frequentius accidunt homicidia ab *ideis mysticis*, seu, occasione cujusdam mysticismi producta. Cum sensus mysticus extra sensum et doctrinam ab Ecclesia traditam evolvitur, generatim dirigitur et progreditur inspiratione passionum, superbiæ, vanitatis ac stultitiæ, et cum eis in abyssum celeriter proficiscitur ut ibi majora crimina consummet.

Recensentur quoque homicidia ob *megalomaniam*, seu ob ideas majestatis, honoris, etc.; et frequentius ob passionem *eroticam*. Juvenis quidam, puellam occidit ut melius in eam libidinem expleret.

Indubitanter asserimus alcoolismum loco eminere principali inter causas homicidii. Hæc intoxicatio tales in centris nerveis producit alterationes, ut fere semper transcendant ad praxim vitæ, et insuper plures illusiones ac hallucinationes maximæ intensitatis plerumque exhibeant.

Ad actum præcedunt nonnullæ ac graves perturbationes perceptionis; dum actus perficitur cum furore ac crudelitate conjicitur super victimam. Casus violentiores homicidii pathologici, indubium, recensentur inter alcoolicos, præsertim in periodis acutis.

Idem sustinendum est de epilepticis, mente degeneratis, paralyticis, maniaticis, impulsivis, etc. In his cunctis simul ac in aliis constitutionalibus uti sunt, debilitas constitutionalis, gravis insufficientia, imbecillitas, idiotismus, hysterismus, degeneratio moralis usque ad anæsthesiam, plurimi recogniti sunt casus homicidii pathologici.

Principia ad casus pathologicos clarius solvendos, invenies in capitibus Libro I positis. Hic addere tantum volumus seu melius in memoriam revocare, ea quæ pluribus in locis hujus operis retulimus, scilicet, plures formas degenerativas ex quibus homicidia sequuntur esse voluntarie acquisitas, ideoque haud liberas a responsabilitate.

CAPUT VI

DE INFIRMITATIBUS VOLUNTATIS

Phænomena quæ in theologia morali non raro cum actibus voluntatis confunduntur sunt, actus *automatici*, actus *instinctivi* et actus *reflexi*, de quibus alibi egimus. Unde:

Articulus primus

In quo consistant infirmitates voluntatis

Voluntas est potentia specifica animæ spiritualis. In statu ac conditione præsenti unionis cum materia anima hac indiget ad proprias manifestationes; ideo, cum materia seu instrumentum materiale impossibilitate laborat, redditur quoque inutilis animæ actio, cum contra nervea et muscularia, quæ sunt organa psychicarum manifestationum, læsa sunt, voluntas nequit proprias ordinationes in executionem mandare.

Nomine infirmitatis voluntatis venit, ergo, ex eo quod careat conditionibus necessariis ad functiones perficiendas; tum ob defectum ideationis, tum alterationum organicarum; nam notum est apud omnes, quod hujusmodi elementa impedire valent exercitium facultatum intellectualium.

Cl. Bernard docet pathologiam regi iisdem legibus ac physiologiam. Voluntas in operationibus ejus normalibus conditionatur a determinata serie centrorum et viarum cerebrospinalium; hac de causa, voluntas est intime ligata cum materia, et haud manifestatur nec determinatur quin præcedat functio elementorum ad elaborationem objecti voluntatis indispensabilium.

Quin positivismum redoleat hanc proponimus theoriam ad deficientias voluntatis explicandas.

Voluntas est elementum essentialiter animæ motorium. Voluntatis manifestationes sunt semper per motus, per tensionem, per desideria et per animi intentionem, quæ ad objectum dirigitur. Cuncti actus revera sunt energiæ, actum voluntatis roborantes ac manifestantes. Hæc potentia, igitur, maximum acervum energiæ representat.

Ne aures offendat nomen «energiæ» libenter innuimus ipsum applicari sensu analogico, quatenus exprimit modum quo vires animæ perficiuntur. Illi conceptus primo et originario e sensu spirituali dimanare videtur.

Quodcumque *minerale* constat *materia* et *energia*: hæc realiter et essentialiter ab illa distinguitur; est una existere nequit absque altera. Defectus in massa materiali impediunt manifestationes energiæ.

Substantia *vegetalis* complectitur *materiam, vim* et *energiam vitalem*. Hæc non operatur absque concursu præcedentium, quamvis ab illis essentialiter distinguatur.

In *animali* distinguuntur *materia, energia, principium vitale* et *principium sensitivum*.

In homine addenda est *energia mentalis*.

In minerali defectus ex parte materiæ provenienti, vel ex parte energiæ, sive per transformationem sive per corruptionem, vocatur *degradatio;* et hoc contingit cum forma operari nequit super materiam. In vegetali, cum principium vitale parata non invenit elementa ad normales suas functiones, dicitur *degenerare*, quod revera inter infirmitates adnumeratur. In homine quævis alteratio in compositio materiæ organizatæ (læsio, iniectio, intoxicatio, etc.), dynamismum mechanicum elementorum organicorum perturbat (liquidi circulationem, caloris propagationem, etc.); absque hac processione physica impossibile est circulatio normalis vitæ; unde oriuntur alterationes, quæ degeneratio vitalis vel infirmitas cognominantur. Prædictæ perturbationes organicæ secum ferunt cellularum degenerationem, necnon fibrillarum, textuum, etc., quod necessario accusat perturbationem sensuum et organorum, et inordinationem

sensibilitatis externæ vel internæ, juxta læsam regionem; uno verbo; accusat *infirmitatem*.

Homo præterquam quod gaudet vita et sensibilitate potitur insuper operationibus mentalibus. Compertum est, spiritum independenter a materia cui unitur, esse substantiam completam ratione substantiæ, etsi incompletam ratione speciei. Cunctas operationes ad speciem pertinentes simul cum corpore exercet. Itaque, ante quam ideam in mente efformet, necessario debet impressionem interiorem vel exteriorem accipere; licet originarie semper ab extra procedat. Idea materiam proximam non habet ad sui formationem, absque imagine locum determinatum ac regionem concretam in cerebro occupante.

Perturbatio organica, idcirco, necessario ducit ad perturbationem functionalem energiæ vitalis et energiæ sensitivæ, et hæc impedit vel substrahit materiam alias necessariam ad actionem animæ; ergo anima nequit operari ob defectum materiæ.

Ubi, ergo, reposita est infirmitas? Nequaquam in anima, nam inaccesibilis prorsus est ad læsiones, intoxicationes, etc.; igitur reponitur in materia, quatenus, ob læsiones, etc., reddit impossibilem actionem spiritus in eam.

In quibus organismi partibus reperiuntur læsiones, cum de voluntatis infirmitatibus agatur? In articulo sequenti perpensum erit.

Articulus 2.us

De mechanismo actuum voluntariorum

Ut principium generale asserendum est, perturbationes motuum voluntariorum apparere semper et quando, cellulæ illæ et fibræ, quæ ad productionem ipsorum cooperantur, influentiam processuum pathologicorum patiuntur.

Videamus, in primis, normalem quæstionis aspectum.

Professor Adam Kieviez opus edidit, lingua germanica, in quo sustinet «cerebellum continere vera motuum voluntariorum centra». Conclusio formalis auctoris hæc est: «cere-



Fig. 30

CURSUS MOTUUM IN VIA SENSITIVA TACTILI ET IN VIA MOTUUM VOLUNTARIORUM. *A*, via pyramidalis. — *B*, cellulæ motrices. — *C*, *D*, cellulæ sensitivæ. — *E*, nucleus funiculi Burdach. — *F*, nucleus funiculi Goll. — *G*, via sensitiva centralis

(Cajal)



Fig. 31

DE DUPLICI VIA MOTRICI. — *A*, zona motrix corticis. — *B*, protuberantia cum collateralibus pontalibus. — *C*, cellulæ Purkingi cerebelli. — *D*, via pyramidalis. *E*, via cerebello medullaris. — *F*, radices motrices. — *G*, via ponto cerebellosa

(Cajal)

Dupuy et Schiff, est quoddam centrum tonicum musculare, centrum energiæ et fulcimenti neuronis motricibus, bulbaribus et medullaribus perutile.

Super hanc quæstionem varie disceptati sunt auctores, inter quos consulet lector Augustum Mariam et Van Gehuchten. Primo prætermisso, breviter dicam, doctrinam juxta Van Gehuchten: cerebrum cum centris motricibus medullæ spinalis communicatur duobus speciebus fibrarum: primo sunt fibræ directæ vel corticospinales; secundo fibræ indirectæ, quæ finem accipiunt in ponte Varolio, ubi copulantur, mediantibus collateralibus et finalibus arborizationibus, cum cellulis pedunculorum cerebellosorum mediorum. Via motrix constat, itaque, tribus neuronis: motrici corticali, pontali et cerebellosa descendenti Marchi. Hæc via nuncupatur *cortico-ponto-cerebello-spinalis.*

Fibræ corticospinales (directæ) possident functionem inhibitoriam in centra motoria spinalia; fibræ cortico-ponto-cerebelloso-medullares gaudent actione tonica et incitationem motricem voluntariam provocant. Interruptio totalis viæ pyramidalis ad perpendiculum capsulæ internæ, interest semper ambobus fibrarum speciebus; idcirco, concessa suspensione fibrarum tonicarum et inhibitricium immediate exaggerantur actus reflexi. Interruptio exclusiva fibrarum inhibitricium, seu viæ directæ cortico-spinalis in medulla, notabiliter minuit potentiam moderatricem reflexorum et prædominium actionis tonicæ viæ indirectæ.

Præfata theoria quamdam modificationem a Lugaro introductam accepit. Communiter admittitur, quia cum hac modificatione, rationem fere omnium phænomenorum pathologicorum reddit.

En mechanismus hystologicus centrorum et viarum psychomotricium, quo merito explicantur infirmitates voluntatis.

Patet, igitur, quodnam sit elementum materiale, cujus læsiones et alterationes ad ordinem spiritualem transcendant. Voluntas est facultas independens in suo esse specifico; sed quoad operationes, in præsenti statu unionis cum

corpore, ligatur cum materia. Est, clarius, facultas *psychica*, id est, dependens e centris corticalibus seu encephali.

Articulus 3.us

De causis infirmitatem voluntatis producentibus

Non tantum ab alterationibus organicis producuntur inordinationes atque infirmitates voluntatis; verum etiam ab insufficientia in formatione idearum et in vigore ac claritate conceptuum. Cum alibi egimus de stimulis, inter stimulos endogenos adnumerabamus eos qui *psychici* vocantur. Re quidem vera, quando idea est nebulosa et confusa; quando cognitio est debilis atque insufficiens, nulla gaudet vi determinata supra voluntatem. Dum e contra, idea clara ac distinta et affectibus imbibita, conscientiæ interest, in voluntatem influxum exercet et minime quiescit usque ad ejus in actum traductionem. Hoc in casu, idea revera est, stimulus, qui sufficienter et interdum efficaciter, movet voluntatem.

Defectus, igitur, in formatione mentali gravissimam habent trascendentiam in determinationibus voluntatis.

Ast frequenter accidit, quod cognitio sit clara atque statibus affectivis roborata et tamen voluntas maneat indeterminata.

Est, reapse, psychosis *dubii perpetui*, quæ rite perscrutata, clare apparet causam reperiri in defectu formationis moralis, seu, educationis voluntatis et potissime ob defectum formationis characteris et frequentius ob hereditatem. Hereditas morbida maximam complet partem in genesi hujusce psychosis.

Malum, non raro initium sumit a pubertate; germen latenter atque ignote aliquo tempore manet. Infirmus exaggeratos timores absque causa experitur; scrupuli ita in singulos dies gravescunt, ut iterato teneatur quoscumque actus, etiam minoris momenti, necessario comprobare. Constanter hæsitat; tempus terit in puerilibus ac ridiculis deli-

berationibus et demum cursus finem facit maxima debilitatione spirituali atque intellectuali, qua inutilis prorsus redditur ad quodcumque opus magni momenti.

Ægritudo proprie dicta voluntatis, inter clinicos et moralistas cognoscitur sub nomine *abuliæ*. Abulia quamplures habet manifestationes; et merito caput speciale ipsi dicare intendimus, nam ad confessarium attinet, principia psychopathologica possidere relate ad voluntatem ut melius ejus phænomena dijudicentur.

Articulus 4.us

De statu et phænomenis abulicis

Abulia, quæ, ut compertum est, amissionem vel diminutionem voluntariæ activitatis significat, invenitur in ingenti numero symptomatum psychopathicorum, præcipue in psychosibus depressivis, in melancholia, neurastenia, etc. Dantur abuliæ totales in quibus infirmi actus faciliores vitæ quotidianæ complere nequeunt; dantur similiter abuliæ partiales vel systematizatæ, quæ incapacitatem voluntatis in ordine determinato commonstrant. Generatim ipsas comitantur obsessiones, phobiæ, etc.

Inter alias formas abulicas numerandæ sunt, teste Janet (1), indolentia, irresolutio, actuum lentitudo, retardatio in omnibus, debilitatio moralis seu spiritualis, lassitudo physica, psychica et moralis, actuum inordinatio, inconsummatio actionis, absentia resistentiæ, misoneismus, timiditas, abuliæ professionales, inhibitionis defectus atque inertia.

In praxi confessariorum frequenter accidit, quod pœnitens ad tribunal pœnitentiæ magno cum dolore accedat, cum firmis protestationibus contra peccatum, imo et in lacrimis effundatur. Ille se accusat de blasphemiis, de verbis injuriosis, de defectibus caritatis, de impudiciciis, de mansturbatione, de visis lascivis, de verbis provocativis, etc., etc.

(1) *Les obsessions et la psychasthénie*, t. I, pag. 343; Paris, 1908.

Nunc autem, hujusmodi pœnitentes, quin obstet bona eorum innegabilis voluntas, post quindecim minuta in eosdem defectus, ad quos proni sunt, procumbunt.

Quid judicandum est de his pœnitentibus? forte perperam confitentur ob defectum contritionis? an deest propositum? Quid censendum?

Nec deest contritio, id est, vera ac intima peccati detestatio, nec desunt proposita, seu veri actus voluntatis; abest tantum *consistentia sufficiens voluntatis*, quique defectus sunt partim objectivi, independentes ab ipsamet voluntate, et ex parte subjectivi, ob paucam vigilantiam atque attentionem, quam sedulo pœnitens adhibere debet.

Sunt subjecti maxime impressionabiles, seu omni vento impressionis ducti quorum status affectivi, revera, crebro variantur. Psychologia hujusmodi infirmorum est fere tota sensitiva; scilicet, in vita eorum psychica et morali præcipue dominantur impressiones, stimuli, reactiones, emotiones, affectus sensibiles; clarius: imaginatio, phantasia, appetitus sensibilis et nerveum systema. En tota eorum psychologia moralis. Vix detegitur in eis firmus intellectus influxus ac valida voluntas.

Generatim hujusmodi phænomena adinvenimus in subjectis maxime impressionabilibus vel reapse infirmis in temperamento, in insufficientibus mentalibus, id est, in eis in quibus ideæ minime stirpescunt, nec status conscientiæ solidatur. Sub hac infirma basi, perfecte solvuntur difficultates supra positæ.

Ideo diligenter commendamus confessario ut indulgenter se habeat cum hisce infirmis voluntatis; est forma quædam abuliæ. Confessarius tenetur eos adjuvare in opere *educationis* vel *reeducationis atque disciplinæ voluntatis* ut *sufficientem consistentiam acquirant.* Numquam e conscientia confessarii discedere debet intima cognitio erga majorem vel minorem influxum sensibilitatis in actum humanum.

CAPUT VII

DE AGITATIONIBUS COACTIS

Petrus Janet, qui clarissime de hac quæstione egit, scribit: obsessiones proprie dictæ, totam spiritus infirmitatem sufficienter non explicant; sunt insuper alia phænomena pathologica, quæ obsessionibus adjunguntur et quæ eorum characteres acerbos et morbosos determinant. Ægroti, quin ullam ideam determinatam sibi repræsentent, plerumque omnino atque irresistibiliter *coacti sunt*, quosdam admittere motus exaggeratos, emotiones violentas ac cogitationes non justificatas ob præsentes circumstantias.

Quemadmodum præfatæ operationes existunt simul cum obsessione, ita perpluries dantur absque ulla obsessione; et juxta proprios characteres, omnibus compertum est, ea phænomena esse prorsus aliena ab obsessionibus.

Hujusmodi agitationes coactæ versari queunt sive quoad cogitationes, sive quoad emotiones, sive quoad motus. Quæ omnia in singulis articulis perscrutabimur.

Articulus primus

De agitationibus mentalibus

Agitationes majoris momenti sunt eæ quæ ad ordinem intellectualem spectant, uti reflexiones, comparationes, judicia et cæteræ operationes mentem fere irresistibiliter agitantes. Cum præfatæ agitationes characteres systematizationis ostendant constituunt *tics* intellectuales, juxta Azam, vel *stygmata psychica*, juxta Grasset, vel *manias mentales*, juxta Janet.

Hujusmodi manias summatim recensentes, viam informationis pro confessariis, ex Janet ordine sequenti desumpsimus.

Sint, in primis maniæ mentales oscillationis, quas patiuntur illi qui nunquam ad convictionem completam vel decisionem unicam perveniunt. Nonnulli continuis interrogationibus confessarium vexant; alii in interminabili deliberatione seu perpetua hæsitatione manent; alii demum maniis præsagii ad mulierculas divinatrices stulte ducuntur.

Confessariorum interest alias cognoscere agitationes, manias *præcisionis*, quæ plerumque habitudines onanistas insequuntur, teste Legrand du Saulle (*Folie du doute*, pag. 17), manias *ordinis, symetriæ, aritmomanias*, manias *symboli, temporis, explicationis, præcautionum*, repetitionis, ut frequenter accidit in piis personis, manias processuum et methodi perfectioris.

Subjectus infirmus nequaquam his operationibus acquiescit, sed ulterius progreditur et ad manias *reparationis* fataliter fertur ut facilius spiritus ejus pessumdetur. Itaque memor sit confessarius maniarum *compensationis, expiationis, propositi pœnitentiis sive mortificationibus* lucudi peccata propria vel aliena modo irrationabili atque indebito; similiter memores sint confessarii maniarum conjurationum; seu clarius, cum munere suo fungantur caveant ne conjurationibus seu exorcismis abutantur, nam persæpe ægroti, summa versutia, in suis nerveis affectionibus possessionem diabolicam imitari conantur.

Infirmitates intelligentiæ perplures habent manifestationes, quas hic notare nequimus; habet tamen confessarius præcipuas formas morbosas ad mentem attingentes.

Agendum deinde est de agitationibus motricibus.

Articulus 2.us

De agitationibus motricibus

Præcedentes agitationes mentales non raro insequuntur excitationes motusque inconscientes. Quemadmodum, ait

Janet: maniæ mentales possunt esse systematicæ vel diffusæ, ita et agitationes motrices. Agitationes systematizatæ vocantur *tics*; agitationes diffusæ nuncupantur *crises agitationis*.

Olim *tics* confundebantur cum convulsionibus et spasmatibus, hodiernis vero diebus, characteres proprios eis agnoscimus.

Primus character *tics*, est ejus *systematizatio*, seus ejus similitudo cum quadam congerie motuum ita coordinatorum, ut actum unicum et completum constituat. Juxta Meige, *tic* est, actus primitive provocatus a causa exteriori vel ab idea erga aliquem finem ordinata. Ob frequentem repetitionem hic actus transit ad habitudinem seu habitum et tandem involuntarie sese reproducit absque causa et absque fine, exaggeratur ejus forma, intensitas atque frequentia. Interdum sumit characteres motus convulsivi usque ad excessum iterati. Voluntas atque distractio suspendere phænomenum valent.

Systematizatio contingit, ut innuimus, quando habentur plures motus implexi ope plurium musculorum ex diversis nervis dependentium et diversi motus a diversis nervis inter se coordinatis. Dantur *tics* nasi, labiorum, palpebrarum, etc.

Secundo, *tic* præbet actus inoportunos et intempestivos. Motus a *tic* producti sunt ridiculi, irrationales atque absurdi.

Phænomena *tics*, quatenus plus directe ad confessarium spectant, sunt ea quæ ad statum mentalem et moralem infirmi referuntur: aliis verbis: *tic* quoad cogitationem et quoad conscientiam, statum scrupulosi constituit, et iisdem legibus ac in scrupulis confessarius regi debet.

Scrupulosus ut liquet ex factis experimentaliter comprobatis est parum responsabilis in ordine scrupulorum, seu phænomenorum, qui morbose evolvuntur.

Vide caput de *Scrupulis*, supra, quamvis summatim, ex opere ibi citato reproductum.

Articulus 3.us

De agitationibus emotionalibus

Prætermissis classificationibus, quæ in agitationibus emotionalibus admittuntur, aliquas tantum phobiæ formas perscrutabimur ex innumerabilibus ab auctoribus adductis. Sunt adeo numerosæ, inquit Janet, ut nullus hisce annis inveniretur studiosus, qui non describeret quamdam novam formam et suum cuique nomen græcum imponeret. Unde ad quemvis objectum nomen respectivum phobiæ additum fuit. Sed quæ majoris momenti sunt apud confessarium, hæc hocce in articulo pertractare volumus.

Prænotandum est, emotiones coactas, quæ characterem injucundum acquirunt et quæ dolore, tristitia ac timore maxime comitantur, *phobias* vel etiam *algias* vocari.

Algiæ capitis sunt frequentes, transcendentalesque et confessario perutile studium earum. Quamdam habent relationem cum cephalea, verum eis adjungitur magnus atque exaggeratus dolor, necnon intensior perturbatio emotionalis per totum organismum distributa.

Genitalia deveniunt sedes prædilectæ similis doloris. Janet et Raymond in lucem prodierunt quoddam exemplum in quo apparent algiæ genitales occasione obscenæ narrationis. Postquam sacerdos audivit in confessione relationem de adulterio commisso, in mente ipsius, ita afficta est imago seu repræsentatio genitalium amborum, uti mpossibile omnino e cerebro repellere valuisset.

Confessarius adeat librum IV, in quo expresse ac latius agitur de hac materia.

Plures ex aberrationibus sexualibus ibi notatis respondent quamplurimis modis seu formis algiarum. Fere omnes manifestationes fetichismi psychici, sunt algiæ genitales ut ibi perscrutabimur.

Gradum responsabilitatis metiri debemus juxta gradus malitiæ. Malitia vero nequit esse completa in infirmis mentis ac voluntatis, quamvis ægritudo extra limites agitationum recen-

sitarum non exeat. Cum hæ ægritudines irresistibiliter ac graviter perturbant judicium conscientiæ, tunc nulla responsabilitas moralis censenda est, nam desunt conditiones quæ requiruntur ad actum humanum adimplendum; cum autem res ita minime se habeat, datur responsabilitas attenuata.

Therapeutica. Grasset contra *tics* præscribit exercitia corporalia, tum *gymnasiam* tum *sports*, præsertim pueris, nerveis infirmitatibus prædispositis.

Zilgien vult ut medicatio sit ætiologica seu causalis ordinis psychici. Consulat suggestionis atqui somnii hypnotici applicationi, quamvis absolute præponat methodum reeducationis a Brissaud et Meige maxime commendatam. Tunc ope repetitionis, motus regulantur ac corriguntur.

Lannois, rejecta sententia absolutam incurabilitatem asserente, admittit tractationem prophylacticam, vi cujus, prædispositus ob hereditatem, summopere conetur pericula vitare in quibus contactus cum infectis adest.

Maxime commendat itidem tractationem causalem, vitando, nempe, causas obsessivas, impressiones, radices infirmitatis.

Quandoque, sed raro, consulendum est medicationi chirurgicæ.

Quoad curationem medicamentosam, Grasset et Rauzier præscribunt injectiones morphinæ, atropinæ, inhalationes clorophormi vel etheris et alia. Meige et Feindel sunt contra usum etheris, morphinæ et cocainæ et firmiter tenent usum bromuri et præparationum valerianæ. Consulendum quoque hydrotherapiæ et electrotherapiæ.

CAPUT VIII

DE PRINCIPIIS PSYCHOTHERAPICIS

Perturbationes quas hactenus perspeximus sive in elemento somatico seu organico, sive in ideativo, sive in emotivo, duplici præsertim via mederi possumus: methodis physicis, nempe, et psychicis. De prima, infra agendum; nunc studere oportet methodo psychotherapicæ.

Nonnulli, inter quos Paul Dubois, clarissimus magister in Berna universitate, vult ut malum psychicum, psychice tantum mederi debeamus, quod a veritate alienum putamus.

Re quidem vera, perturbatio psychica vel sequitur alterationem somaticam vel non: si est consequentia alterationis organicæ, tunc malum physicum, physice curandum est; si nullam ætiologiam vel pathogeniam organicam agnoscit cum perturbatio sit intensa ac perdurabilis, necessario lædit organum vel centra nervea, in quibus crebro inspicitur alteratio elementorum chemicorum. Ergo, etiam in malis psychicis datur perturbatio substantiæ materialis.

Criterium prorsus acceptabile, fusius expositum in opusculo nostro *Los enfermos de la mente*, sequentibus affirmationibus exprimam.

1° Malum pure psychicum absque ulla læsione organica nota, possumus mederi mediis pure psychicis.

2° Malum psychicum (quæcumque psychoneurosis), quod læsionem aliquam vel alterationem biochemicam in centris nerveis produxerit, debemus mederi mediis psychicis simul cum physicis.

3° Malum psychicum, cujus causa est alteratio organica (traumatismum, intoxicationem, infectionem, etc.), mederi debemus mediis præsertim physicis; ast methodum psy-

chotherapicam non spernendam, imo applicandam esse censemus simul cum physica.

Influxus optimismi in systema physicum organismi est innegabilis et mirabilia operatur. Ex statistica bellorum patet, quod ex læsis, plures curantur in exercitu debellatore, quam in exercitu, qui prœliis cedit. Impressiones optimistæ, seu status animi sympatici producunt quamdam vasodilatationem, sanguinis vitæque circulationem, facilem reddentes; secus ac animi agitationes, anxietates, aliique status depressivi, qui evidenter vasoconstrictionem producunt et cursum vitæ maxime operosum reddunt.

Formæ præcipuæ psychotherapicæ ægrotis applicabiles, inter millia, sequentes a nobis seliguntur.

Suggestio sive *hypnotica* sive *extra somnum hypnoticum.* Multum disceptatum fuit de valore hypnotismi; sed postquam plures doctissimi viri ejus utilitatem tuiti sunt factis ac statistica, non possum non animum submittere et ejus applicationem suadere. Abusus aperte commissi in praxi hypnotismi; vel ejus applicatio subjectis eidem refractariis nihil dicit contra ejus positivam utilitatem et efficaciam.

Nihilominus confitendum est, non omnes psychastenicos esse susceptibiles hypnotismi, imo, nonnullos absolute negare posse hypnotizari, quorum doctrinæ subscribere vel nomen illi dare non possumus. Usus hypnotismi potest *servatis sarvandis* commendari; abusus autem, centra nervea et psychica debilitat, ut perspexit et plane confitetur præstantissimus Grasset. Raymond ultra progreditur, et hypnotismo uti dissuadet, quoniam hæc experimenta semper damnum his ægro tantibus afferunt, firmiores faciendo tendentias ad abuliam et ad alterationem personalitatis.

Suggestio extra somnum hypnoticum aliis verbis nuncupatur *suggestio persuasiva, influxus moralis*, et quidquid moraliter in animum ægroti indicitur ipsumque dominatur.

Ratiocinatio restat inefficax pro psychastenicis; influxus vero, verborum, exemplorum, atmospheræ moralis, et aliarum ejusdem ordinis maxima efficacia gaudent et animum infirmi perbelle modificant.

Directio moralis. Fulcrum in quo nititur psychotherapia est actio moralis confessarii in pœnitentem infirmum.

Apposite doctissimus Gemelli: «Perfecta sanatio exclusive posita est in quadam directione morali, quod revera est id, quod moderna psychotherapia docet.»

Directio moralis exercetur, scribit Bernheim, aptitudine ad colloquia, ad familiares sermones, ad liberalitatem in disserendo; perficitur quoque, cum spiritu consilii, humanitatis et caritatis in eo qui dirigit, multa fiducia in ægrotante. En similiter potissima psychotherapiæ instrumenta.

Confessarius perpendat ægrotantis propensiones, qualitates, aptitudines et temperamentum, atque energias psychicas dirigat ac salvas faciat.

CAPUT IX

DE METHODIS PHYSICIS IN PSYCHASTENICIS

Ut melius nostrum systema solidetur, transcribere volumus quod adversarii physicotherapiæ sentiunt relate ad quæstionem.

«Therapia, nonnullos annos, notabili transformationi subjicitur. Ipsa ex symptomatica, magis ac magis fit pathogenetica. Rem explico. Medicus non amplius animum intendit ad extenuandum hoc vel illud symptoma, sed directe prospicit causas morbi, quas studia recentiora demonstrare permisserunt. Proinde intelligitur, quomodo pro curandis morbis psychicis magis magisque excludantur medecinæ, et quomodo studiosorum præstantissimi operam quidem dent adeo ut omnia ea remedia, quorum efficacia pure limitatur ad curanda phænomena organica, quæ in morbo veluti secundaria considerandа sunt, applicentur tamquam remedia simpliciter coadjuvantia, atque ut cura requisita sit pathogenetica, seu psychica, propterea quod psychica est causa hujus morbi. Therapeutica ex medicamentis collecta, recenter scribebat Dejerine, vixit, et nobis videtur, sine ambagibus et limitibus, ita ut jure eam condemnari posse.» (Gemelli.)

Nihil aliud his affirmationibus addere debemus, quam hocce argumentum: therapeutica moderna est præsertim pathogenetica: atqui medicatio physica in psychastenicis est pathogenetica; ergo patet conclusio.

Plerumque perturbationes psychicæ productæ sunt exclusive ab alterationibus organicis, ut in Libro I enucleatum fuit; et tunc primarie requiritur actio reconstructiva seu reintegrativa organismi; secus actio psychotherapica inutilis redderetur.

Insuper status psychastenicus satis intensivus secum fert notabilem alterationem somaticam, quam difficulter, imo plerumque impossibiliter mederi potest psychiatra, absque actione physica. Nequaquam igitur est spernenda medicatio physica in psychastenicorum curatione.

Inter processus physicos locum præcipuum occupant: *hydrotherapia*, quæ actionem sedativam, stimulantem, tonisedativam, contrafluxionariam et trophicam habent in centra nervea; *aquæ minerales et climatotherapia*, quæ proprie indicantur pro symptomatibus excitationis, depressionis, pro revulsione et pro resolutione in organismo; *electrotherapia, kinesitherapia, photo* et *radiotherapia* et demum *pharmacotherapia* de qua pauca dicemus.

Grasset in opere recenti *Thérapeutique des maladies du système nerveux*, hæc ordinatim colligit et tradit medicamenta.

Modificatores motricitatis: nux vomica, herba Sancti Ignatii, putamen orientis.

Depressivi: diversi bromuri.

Modificatores sensibilitatis: Metallotherapia ut *stimulantes*.

Depressivi: anesthesici ut chloroformus, ether, bromurus et clorurus itylicus, protoxydus azoatus, cocaina et ejus succedanei. Analgesici ut opium, morphina, codeina, dionina, heroina, belladona et complexus antipirinæ et salicylici.

Modificatores psychismi: noosthenici ut *stimulantes*, nempe, cafe, the, mate, kola, alcool, acidus carbonicus. *Depressivi* sunt omnes hypnotici et somniferi.

Idem habet Strümpell: *Traité de Pathologie spéciale*, t. III, p. 748.

LIBER QUARTUS

DE PERVERSIONIBUS SEXUALIBUS

Antequam hanc materiam aggrediamur, sequens fragmentum Sancti Clementis Alexandrini libenter transcribemus:

«Pedagogus nominum licentiam tamquam usum reprehendit, ut licentiam ad intemperantiæ congressionem amputet; insolenter enim se in vocibus gerere, facit ut meditemur inhoneste facere. In vocibus autem esse modestum est seipsum exercere ad fortiter sustinendam libidinis impressionem. Prolixiori autem oratione ostendimus, quod *neque in nominibus, sed neque in partibus ad coitum pertinentibus et nuptiali congressione,* pro quibus supponuntur nomina quæ usu minime trita sunt, ejus quod vere turpe est ponitur appellatio. *Nam neque genu, et tibia, et hujusmodi membra, et quæ eis imposita sunt nomina sunt turpia, nec quæ per ea fit actio: membra autem et hominis verenda, verecundia quidem plena, non autem turpia censenda sunt. Turpis autem res est eorum operatio quæ fit præter leges, ideoque probro digna et supplicio. Turpe enim solum revera est vitium et quæ per ipsum aguntur*». (Clementis Alexandrini, *Pædagogus*, lib. II, cap. VI, in fine; edit. Méquignon-Havard, Parisiis, 1829.)

Et alibi: «Neque vero nobis turpe est ad auditorum utilitatem nominare partes in quibus fit fœtus conceptio, quæ quidem Deum fabricari non puduit.» (Clemens Alexandrinus, *Pædagogus,* cap. X, lib. II.)

CAPUT PRIMUM

ANATOMIÆ ET PHYSIOLOGIÆ QUÆDAM NOTIONES ELEMENTALES

Non abs re erit, imo magis necessario censemus, ad facilius pertractanda ea quæ ad quæstiones sexuales spectant, quasdam quæstiones præcipue ex anatomia et physiologia præmittere. Memores, quod omnes ad quos spectat has peragere quæstiones, in primis moralistæ, iis quæ ad genitalem mechanismum et ad speciei functionem referuntur, non semper in libris anatomiæ vel physiologiæ consulere queunt; volumus hic summatim tradere, quod præsertim interest confessariorum.

Ac de causa necessario censemus memorare elementa, præ oculis habenda a moralistis in pertractandis omnibus istis quæstionibus, sive quoad aspectum normalem sive pathologicum; imo magis sub ultimo aspectu nobis interest, quia perturbationibus et alterationibus plus quam functionibus normalibus in hoc volumine studemus.

Ut ordinatim procedamus, sequentes statuimus articulos.

Articulus primus

Notiones anatomiæ normalis: apparatus masculinus

Non agimus hic de apparatu proprie urinario, sed de eo qui ad implendas functiones relationis destinatur. Hujusmodi functio, *reproductio* nominata, inservit ad spe-



Fig. 32

CONJUGATIO CELLULÆ OVULARIS ET CELLULÆ SPERMATICÆ

I, *F*, nucleus femineus; *Z*, introductio nemaspermatis intra cellulam ovularem. — II, nucleus ovuli eliminat primum corpusculum polare. — III, transformatio nemaspermatis in nucleum. IV, eliminatio secundi corpusculis polaris. — V, appropinquatio nucleorum. — VI, formatio stellæ matris cum quatuor ansulis chromaticis. — *a*, formatio primi corpusculi polaris. — *b*, formatio alterius corpusculi polaris

(O. Hertwig)

ciei conservationem, id est, ad functionem illam per quam substantiæ viventes multiplicantur et aliis substantiis similibus originem præbent.

Generatio sexuata concursum duorum elementorum exigit: *ovulorum* nempe et *nemaspermatum*. Ex ovulo et nemaspermate fecundatis oritur germen quoddam, quod, post regularem evolutionem constituit aliam substantiam morphologice suis progenitoribus similem.

En nomina et respectivæ functiones.

Apparatus hominis genitalis, juxta Testut, duabus partibus essentialiter constat: 1.ª, organo glandulari seu *testiculo*, quod munere fungitur liquidum fæcundantem vel sperma elaborandi; 2.ª, longo ductu ut hunc liquidum transferat ad crumenam copulatricem mulieris. Hujusmodi ductus comprehendit simul ductum deferentem, vesiculam seminalem, ductum ejaculatorem et uretram. Hæc ultima est impar et sita est in linea media, ubi productum elaboratum in duobus testiculis recipit. Uretra in portione extrapelviana circumstat formationibus erectilibus, quæ, cum sint turgentes ac rigidæ in actu copulationis, maxime favent intromissionem ductus vertoris spermæ in vaginam. Instrumentum intromissor *pene* vel *virgula* nuncupatur. In spatio uretræ sunt quædam *glandulæ*, cujus productum frequenter cum producto glandulæ genitalis miscetur.

Relate ad testiculos nihil aliud nobis interest, quam sequentia: *Ectopia testicularis*, quæ in eo sita est, ut hoc organum in cursu sui descensus cunctetur vel se sistat et in loco procul a potrinis defigatur. Hæc ectopia secum fert impossibilitatem nemaspermata producendi ut liquet ex innumeris demonstrationibus experimentalibus. Testiculus ectopicus est organum degeneratum atque infecundum.

Ductus ac corpuscula seminifera, seu illa quæ ad productionem nemaspermatum destinantur, quædam spatia adimplent et in considerabili numero congerierum plus minusve independentium distribuuntur, quas nomen *lobulorum spermaticorum* accipiunt. Præfati ductus, sensu convergenti diriguntur erga verticem lobulorum suorum. In

spatio et cursu suo prædicti ductus contrahunt inter se plures anastomoses cum lobulis proximioribus.

Hystologice inspecti hujusmodi ducti, parietem propriam et vestimentum epiteliale ostendunt. In *adultis* epitelium caniculorum plena activitate gaudet, quæ cum productione nemaspermatum perficitur. Nemaspermata constant tribus partibus: *capite, collo* et *cauda.*

Sperma in testiculis elaboratum currit vel transit per longum ductum, *ductum deferentem,* qui id transitorie reponit in reservorium *vesiculam seminalem* nominatum.

Vesicula seminalis et ductus deferens continuant per *ductum ejaculatorem,* qui in actu ejaculationis ducit sperma ad ductum uretræ et inde ad exteriorem. Vesiculæ seminales sunt relate ad glandulam genitalem, quod vesicula urinaria ad organum secretor urinæ. Vesicula seminalis, tamen, non est tantum organum contentionis, est quoque organum secretor, quod productus naturæ albuminoideæ vel nucleicæ spermati adjungentes elaborat.

Vesiculæ seminariæ et portio ductu deferentium eis contiguæ submersæ manent in atmosphera cellulomusculari, essentialiter constituta a fibris muscularibus, diversimode interconjunctis et ad exiguam quantitatem fibrarum conjunctivarum et fibrarum elasticarum unitis. Hæ fibræ cellulomusculares vesiculas comprimunt et ad exterius liquidum inclusum ejiciunt. Revera sunt musculi spermatis ejectores. In sua interna conformatione, vesicula continet multitudinem cellarum parvæ dimensionis, quæ mire communicant inter se.

Ductus ejaculatores, sive dexter sive sinister resultant ex conjunctione, per angulum acutum, ampullæ ductus deferentis et vesiculæ seminariæ. Munus ejus consistit in eo quod tradit ad ductum uretræ sperma in his duobus reservoriis cumulatum.

Factum aliud magni momenti est, quod ad nervos organorum erectilium refertur. Hi nervi, simul sensitivi et motores, duplicem procedentiam agnoscunt: *systema sympaticum* et *systema cerebro spinale.* Primi procedunt e plexu hypogastrico; ad organa erectilia perveniunt arteriæ comi-



Fig. 33

SCHEMA APPARATUS GENITALIS HOMINIS. — *A*, vesicula. — *B*, pars prostatica uretræ. — *C*, pars membranosa. — *D*, pars spongiosa. — *1*, testis dexter. — *2*, epididymis. — *3*, ductus deferens cum ampulla ejus, *3'*. — *4*, vesicula seminalis. *5*, ductus ejaculatorius. — *6*, glandula Cowper cum ductu excretore *7* *(Testut)*



Fig. 34

ZOOSPERMA HOMINIS. — *A*, vultus. — *B*, latus. — *1*, caput. — *2*, segmentum intermedium. — *3*, segmentum præcipuum caudæ. — *4*, segmentum terminale. — *5*, filamentum axiale



Fig. 35

VESICULÆ SEMINARIÆ. — *1*, ductus deferens. — *2*, portio ampullaris. — *3*, vesicula seminalis cum *3'* ejus pariete. — *4*, portio terminalis. — *5*, ductus ejaculatorius. — *x*, vesicula scissa *(Testut)*



Fig. 36

APPARATUS GENITALIS MULIERIS

1, ovarium. — *2*, tuba fallopiana. — *3*, uterus. — *4*, vagina. — *5*, bulbus

(Testut)

tantes, et plexus in circuitu earum efformantes. Secundi emanant e nervo dorsali penis et e nervo perineali superficiei, qui simul sunt duo rami pudendi interni.

Motus nemaspermatum est satis rapidus et perdurat multas horas in caniculis testium post mortem et in vagina mulieris etiam post plures dies.

Elaboratio seminis semel incepta, a pubertatis anno, tota vita perseverat, etiam in senectute. Castratio, seu utriusque testiculi ablatio, perpetuam inhabilitatem ad generationem homini inffert, quamvis copula sit possibilis et de facto detur sensus venereus. Præsentia unius testiculi sufficit ad generationem. Ex plurimis nemaspermatibus, quæ emittuntur in qualibet ejaculatione, unum tantum ad fecundationem sufficit et de facto illam adimplet.

Cætera exprese omittimus, quia eis non indiget confessarius ut rite comprehendat potissima problemata sexualia, quæ ex genere masculino ordiri possunt.

Articulus 2.us

Genitale femineum

Quemadmodum in articulo præcedenti, ita in hocce memorabimur indispensabilium notionum ut facilius comprehendat confessarius mechanismum genitale, quod in pertuibationibus sexualibus mulieris operatur. In mente habe, lector benevole, hoc non esse opus anatomiæ, sed opus morale, in quo necesse est nonnullas præmittere notiones circa elementa in quibus evolvitur seu locum habet perturbatio sexualis.

In primis *ovaria* sunt binæ glandulæ, quorum officium est conficere *ovum*, ex quo, post fecundationem, novus producitur homo. Ita essentialiter necessaria sunt in apparatu mulieris, quemadmodum testiculi in apparatu sexuali hominis. Antiqui anatomici ea nuncupabant *testes muliebres*.

Recenter adinventæ sunt in mulieris ovario cellulæ nerveæ, quæ munere funguntur gangliorum peripherico.um,

etsi exiguæ quantitatis. Hujusmodi cellulæ, quæ corticem medullarem occupant, distribuuntur ad longum arteriarum. Strictam servant analogiam cum cellulis sympaticis a Cajal descriptis, in tunica musculari intestini.

Ablatio utriusque ovarii constituit, igitur, castrationem mulieris, supressionem menstrui fluxus, atrophiam uteri et impotentiam absolutam ad generandum. Mulier tamen desideria venerea et sexuales excitationes experitur.

Ovulum est vera cellula, quæ constat membrana subtili externa, etc. intus includit nucleum, seu vesiculam germinativam, intra quam adest nucleolus. Nucleus conjungitur cum nucleo cellulæ spermaticæ et post nonnullas mutationes efficitur embrion.

Oviductus sunt bini ductus, siti in cavitate abdominis inter ovaria et eorum ligamina, quorum officium est, statuto tempore, recipere ovulum ex ovariis et in cavitatem uteri perducere. Tubæ falloppianæ seu oviductus non adherent ovariis, nisi tempore quo erumpuntur vesiculæ Graaf, exeunt ex ovariis et tubos ingrediuntur.

Hystologia teste, ductus, qui ex termino seu extremitate externa ovarii ad angulum superiorem uteri distenduntur, constant pluribus tunicis, inter quas *muscularis* invenitur, quæ iterum constat fibris circularibus et longitudinalibus. Nervi tubæ sunt numerosi et procedunt e plexis, qui circumeunt ambas arterias uterinam et ovaricam.

Uterus seu *matrix*, qui jacet inter vesiculam urinariam et rectum intestinum, destinatur ad recipiendum ovulum post ejus fecundationem. Anatomia triplicem tunicam superpositam detegit in utero: tunicam *serosam*, tunicam *muscularem* et tunicam *mucosam*. Prima est quædam dependens peritonei pelviani cum quo strictas relationes servat; tertia generatim cooperit interiorem superficiem organi: tunica muscularis, ex se efformat fere totum interius uteri. Componitur ex fibris muscularibus, quarum complexus constituit *musculum uterinum*. Fibræ uterinæ in tria tegumenta distribuuntur: externum, medium et internum; in cunctis perspiciuntur fibræ longitudinales et fibræ transversales.

Facies interna uteri plures præbet venas et arterias

cum vasis lymphaticis et nervis; tempore prægnationis sanguis in hisce arteriis augetur ad nutriendum fetum. Nervi potiores uteri sunt: plexus uterinus, qui ex plexu hypogastrico provenit et plexus uterovaricus, qui ex plexu lumbari exorditur.

Vagina, seu ductus qui pene recipit dum coitus perficitur, plurimas habet fibras nerveas, quæ ex hypogastrio, et pudendo interno procedunt. Investigatio hystologica detegit in introitu vaginæ antequam ad parietes perveniat, in circuitu organi, quemdam plexum perivaginalem, in cujus annulis exiguos ganglios vel cellulas nerveas perspiciuntur. Kostlin adinvenit in mucosa vaginali corpuscula Krause, corpuscula tactus et adhuc corpuscula genitalia perfecte similia illis, quæ in clitoride existunt.

In viiginibus, vagina habet membranam plus minusve resistentem et perforatam, quæ dicitur *hymen*. Hymen non est essentiale, nam pluribus in virginibus non existit. In primo coitu laceratur, dum adeo mollis non sit, ut permittat introductionem penis, quin destruatur. Destructio hymenis non semper accusat in puella amissionem virginitatis, nam erumpi potest quin mulier id advertat pluribus modis, ut ex. gr. saltibus, equitatione more virorum, prima menstruatione, ulceribus, fluoribus albis, prolapsu uteri, et pluribus aliis.

Non desunt plures casus in quibus mulier caret hymene a nativitate. Sed de his, medicina legalis agit.

Clitoris est organum erectile in parte superiori et anteriori vulvæ situm. Est similis formæ penis, quamvis minor et absque uretra; ad instar penis, est susceptibilis completæ erectionis, et de facto turgida efficitur in voluptuositate. In clitoride inveniuntur corpora cavernosa, eamdem structuram fundamentalem quam corpora cavernosa penis habentia. Ad instar horum essentialiter constituuntur per tegumentum fibrosum vel albugineum, quod textum erectilem in suo interiore continet.

Nervi clitoris procedunt e pudendo interno. Nervi dorsales clitoridis transeunt a tergo ad ultra in facie dorsali organi: delicatos ramos in via ad corpora cavernosa emittunt,

qui in glande terminant, ubi videtur commune centrum habere maximam sensibilitatem, qua fruitur clitoris. In glande adinventa fuere *corpuscula voluptuositatis.*

Vagina potitur quoque organo erectili imperfectiori quam organum erectile clitoris; bulbus est nomen ejus. Certis cum conditionibus physiologicis et sub influxu repletionis sanguineæ turgidus efficitur. In facie externa genitalium inveniuntur glandulæ *Bartolinii,* sitæ in partibus lateralibus vaginæ, quæ liquidum emittunt densum, viscosum, speciali odore præditum, excitantem in viro veneris æstrum. Cum excitatio venerea ad maximum pervenerit, hæ glandulæ segregant eo fere modo, quo vir patitur ejaculationem seminis, licet a vera ejaculatione alienum sit. Unde patet sensus, quem mulieres præbent verbis, cum se accusant de pollutione seu effusione (in Hispania frequentius *derrame*) ut persæpe accidit (1).

Articulus 3.us

Notiones physiologiæ normalis: sexualitas masculina

Facta præstantiora quæ ad nos attinent sunt sequentia: erectio est actus præparatorius ejaculationis; in hac mi-

(1) Antonelli in ejus *Medicina Pastoralis,* hæc habet ad rem nostram maxime utilia: «Oportet nonnulla hic addere de quibusdam *odoribus* in utroque sexu, de quibus tam mares quam feminæ sæpe gaudent ob speciales sensationes sexuales, quas secum ferunt..... Quod hic interest et frequentius in praxi accidit est *odor sexualis,* de cujus complacentia aliquando pœnitentes agunt. In viro semen ipsum particulari odore pollet; ad quod accedit *smegma,* quod sub præputio colligitur, ex odore piscis vel astaci cocti; quod si non frequenter amovetur per lotiones simplicis aquæ aut aliter, fermentationem patitur cum odore forti, acri ac fœtenti; dein *sudor* ipse inguinum (et in viro etiam scroti) specialem aromaticum odorem habet in utroque sexu. In *femina* vero mucus vulvo-vaginalis, qui præsertim ex glandulis Bartolinii secernitur, maxime tempore menstruationis, fortem ac characteristicum odorem præ se fert, cui nomen *odor feminæ,* quam maxime ad copulam excitantem. Vis hujus odoris potest aliquando vehementer augeri ob nonnullas morales affectiones mulieris (pavoris, timoris, etc.) et ob copulam et mansturbationem et in nonnullis morbis generalibus et modo speciali in diabete. *Smegma* ipsum, quod inter labia colligitur, particularem odorem emittit, valde diversum ab eo, qui est in viro, similem odori adipis fermentati seu rancidi. *Sanguis menstruus* eumdem habet parvum, sed particularem odorem, qui aliquando in feminis circ. 45 ann. potest valde nauseabundus evadere cum fluxu e vagina; quod tamen significat initium cancri uterini (vel maximum defectum hygienicum, addimus nos). Cum pœnitentes sese accusant de complacentia accepta ex his odoribus, utrum graviter vel leviter peccaverint, in singulis casibus judicandum est; insuper nullo modo oportet confessarium noscere de quibus specialibus odoribus pœnitens sese complacuerit.» (Vol. I, pag. 115).

scentur secretiones testiculorum, vesicularum seminalium, prostatæ et glandularum Cowper. Probabiliter dum æstrum venereum erectionem provocat, occurrit augmentum metabolicum omnium organorum secretorium, quæ apparatum masculinum genitalem componunt, qui augens repletionem et tensionem totius systematis ductuum, adauget reflexe nerveam excitationem et simul promovet orgasmum eroticum, seu æstrum venereum, quod inmediate præcedit ejaculationem spermaticam. Hæc vero, proprie est effectus mechanicus pluiimorum motuum ope musculorum determinatorum. Ita Luciani.

Physiologia defigit centra reflexa tum erectionis tum ejaculationis in segmentis inferioribus medullæ lumbaris. L. R. Muller animadvertit quod reflexi amborum phenomenorum existunt etiam post extirpationem totius medullæ lumbaris et portionis superioris medullæ sacræ. Pathologia docet, incapacitatem erectionis uniri infirmitatibus portionis extremæ medullæ. Quamvis physiologus ignoret adhuc ubinam sint vera centra, nihilominus, notum est, quod cerebrum et totum axospinale, etsi non includerent vera centra immediata erectionis et ejaculationis, evidenter possunt, ex se, in hos actus influere eosdemque determinare.

Alibi videbimus, quomodo simplex imago visus, vel auditus, etc., sufficit, ab omni alio stimulo independenter, ad præfata phænomena provocanda et rite perficienda (1).

Centrum erector medullæ, juxta Landois, manet subordinatum centro vasodilatatori superiori, quod est in bulbo raquideo, et inde egreditur ad fibras, quæ id conjungunt cum centro erectori. Activitas psychica cerebri, docet ipse, exercet influxum positivum in vasis dilatatoribus genitalis apparatus. Hæc cerebri actio perfacile comprehen-

(1) In vertebratis inferioribus, quemadmodum in superioribus, læsio partialis cerebri est capax producendi moram in spermatogenesi, ortam ex processu involutivo inmediato ac celere elementorum parenquimatosorum testiculi, ab spermatocitis incipienti. Hæc involutio est transiens et generatim eam sequitur quædam reintegratio anatomica et funcionalis, saltem in læsionibus partialibus. Prædictus influxus cerebri super testiculos est proprietas difusa in tota cortice, et locum determinatum atque specialem in ea non habet. (Ceni [Carlo]: *Rivista sperimentale di freniatria*, 1910, pag. 629, 642).

ditur, ex quo cognoscimus influxum corticis cerebralis super dilatationes locales vasorum.

Præter centra *difusa excitantia* reflexi erectoris et ejeculatoris, inquit Luciani, inveniuntur quoque in cerebro et in medulla *centra inhibentia* prædicti reflexi.

Elementa nervea centralia suntne eadem in erectione quam in ejaculatione? Factum frequenter datum, quo obtinetur ejaculatio absque erectione, permittit asserere, licet cum aliqua formidine, quod anatomice ac functionaliter sunt distincta. Patet quoque experientia, quod existunt viæ nerveæ distinctæ ad singulas functiones.

Antequam huic articulo finem imponamus, memorare volumus, quod activitas apparatus genitalis masculini notabilem exercet influxum in cætera organa. Testiculi, ex. gr., independenter a functione sexuali, aperte habent actionem in centra trophica seu in trophismum, vi cujus exacerbantur vel læduntur fere omnia organa œconomiæ physiologicæ.

Notum est apud omnes et firmiter tenetur, quod testiculi, præter secretiones *externas* ad reproductionem destinatas, quamdam secretionem *internam* specialem possident, ope cujus influunt præsertim in cæteros textus. Tamen, quoad actionem succi testicularis super motus musculares voluntarios, adhuc res sub dubio manet.

Articulus 4.us

Notiones physiologiæ normalis: sexualitas feminea

Nihil de his de quibus acturi sumus in decursu hujus libri, volumus hic præmittere, sed tantum agemus de factis experimentalibus ac documentis rite comprobatis, ut facilius eruantur conclusiones physiologicæ.

Organa erectilia in muliere sunt præsertim *clitoris* et bulbi vestibula. Clitoris cooperitur per preputium, quod dependet a parvis labiis; glandis superabundat præ pene quoad corpuscula terminalia; quo fit ut habeatur veluti *organum voluptuositatis.*

Bulbi vestibula sunt organa erectilia, forma amigdalæ,

quæ in extremo eorum anteriori convergunt, quamdam ferream soleam efformantia a tergo opertam, quæ simul portionem terminalem uretræ et orificii vaginalis circumit.

Mechanismus erectionis in femina eodem modo se habet ac in viro. In illa, clitoridis et bulborum vestibularium erectio est quidam actus reflexus, determinatus ab excitatione erotica sensuum superiorum et præsertim ab stimulo mechanico superficiei sensitivæ vulvaris et vaginalis per penis introductionem producta. Reflexus provocat activam dilatationem arteriarum, afferentium organis erectibilibus, et affluentiam sanguinis ea turgida reddentis.

Compertum est quod eatenus est fortis ac debilitans sensatio laxitudinis actum venereum insequens, quatenus erotismus est intensior ac difusior. Adverte tamen, quod hoc phænomenon minime accidit ob laborem et debilitationem muscularem, sed propter intensum laborem centrorum nervorum, seu clarius, propter laborem imaginationis ac emotionis, qui tunc in unum conferunt maximam congeriem energiarum in centris psychosexualibus. Hujusmodi sensatio debilitationis cerebralis ordinarie est intensior in viro, quam in muliere, abs dubio, propter majorem activitatem ab illo positam in ejus concursu.

Cæterum, quod in specie refertur ad aspectus particulares sexualitatis, infra videbis, pudice lector, verbis necessariis ac pudica forma pertractatum.

CAPUT II

DE NONNULLIS PERTURBATIONIBUS GENITALIBUS ORGANICIS

Non raro contingit, quod pathogenia quarumdam perturbationum in mente vel in sensibus existentium, sistat in elemento somatico genitalium. Confessariis interest distinguere ac determinare, utrum psychopathia sexualis producta potissime sit ab organica affectione vel ab elemento psychico, quod ut melius perficiatur, sequentem ordinem articulorum instituimus.

Articulus primus

De vaginismo

Vaginismus est quidam status morbosus, quo fit reactio spasmodica dolorosa in vulva ac vagina producta ad simplicem contactum vulvo-vaginalem, tum fiat occasione relationum sexualium, tum occasione introduccionis cujusvis objecti.

Magister Fargas, in ejus præstantissimo opere *Tractatus de Ginecologia*, ex quo nonnulla eruimus, intelligit per vaginismum, coitum cum dolore et spasmo musculorum pelviperinealium effectum. Minime confundendus cum *dispareunia*, quæ consistit in simplici dolore intra coitum expertum, qui tamen non præ se fert impossibilitatem ipsius. Hoc symptoma existit in pluribus affectionibus apparatus genitalis. Vaginismus excussat mulierem a reddendo debito, non autem dispareunia.

Duplex distinguitur vaginismus, *symptomaticus* nempe et *essencialis*: in primo existunt læsionis locales, quæ ratio-

nem reddunt infirmitatis; in secundo seu vero vaginismo, nulla datur proportio alterationum cum intensitate symptomatum; agitur, ideo, de vera neurosi genitali. Major pars inter vaginismos pertinet ad primam categoriam.

Inter varias causas, quæ vaginismum producere possunt adnumerandæ sunt: *infectio læsionis hymenealis* post primam defloration em; *onanismus et quivis actus incompletus*, nam efformat exaggeratam et perturbatiorem sensibilitatem in zona genitali, vi cujus enascuntur vaginismus et quædam aliæ perturbationes psychopathicæ; *orgasmus venereus* tactibus manualibus iteratis productus. Hæc sufficiant ut confessarius consilia opportuna pœnitentibus præbere valeat et a peccato eis avertat.

Symptomata et diagnosis. Potissima symptomata vaginismi sunt *dolor* et *spasmus* musculorum pelvigenitalium in actu introductionis cujusvis objecti in vaginam. Symptomata sunt valde variabilia quoad intensitatem: quandoque experitur mulier sensationem valde acervam, sed tolerabilem ope voluntatis, interdum autem, materialiter atque moraliter impossibilis est actus conjugalis, tum quia constrictor vaginæ spasmum intensiorem patitur, tum quia animus fortiter abhorret actum ob intolerandum dolorem olim expertum. Plerumque accidit, quod hujusmodi dolor atque spasmus quasdam manifestationes seu formas hysterismi accipiant ac producant.

Vaginismus igitur tres gradus amplectitur: 1.º, coitus est satis dolorosus vel acervus, sed tolerabilis; 2.º, actus est ita acervus et molestus, ut mulier abhorreat totis viribus conjugalem copulam et tantum paucissimis in casibus illam efficiat; 3.º, actus est materialiter ac moraliter prorsus impossibilis; et tunc mulier privatur ab omni relatione sexuali. Tertius gradus, nihilhominus, rarissime contingit.

Caveat confessarius ne facile credat adesse vaginismum, ubi tantum existunt causæ mechanicæ actum conjugalem impedientes, uti sunt imperforatio hymenis, tumor vaginam obstruens, compressio ac retentio penis ob maximam contractionem elevatoris ani, ex qua oritur phænomenon ab Hildebrand *penecativum* nuncupatum.

Implicationes vaginismi parvam habent gravitatem quoad apparatum genitalem; maximam vero, quoad morales dispositiones. Mulier tristatur ac melancholice se habet in relationibus domesticis; quædam manifestationes neurastenicæ motivum præbent suspicandi determinatam prædispositionem ad hysterismum.

Therapeutica. Consulendum est ginecologos, ut illi procedant ad curationem læsionis localis in vaginismo symptomatico; ad anesthesiam juxta methodum Pozzi et simplicem operationem chirurgicam in vaginismo essentiali. Lomer suadet methodum electroterapicam, sed raro efficaciter medetur.

De *vaginiti* alibi agitur (Vide de *Blenorragia* et de *vulvo-vaginiti*.)

Articulus 2.us

De infectionibus vulvo-vaginalibus

In statu physiologico seu normali, regio vulvo-vaginalis est quoddam depositum microbiorum diversorum ordinum. Ipsi sunt inoffensivi, dum agens pathogenum exterum non lædat textus vulvo-vaginales. Ætas senilis prædisponit subjectum ad infectionem; actio substantiarum irritantium super tegumenta vulvo-vaginalia est frequentissima causa phænomeni. Et potissime hanc infectionem determinat defectus in hygiene sexuali; nam quæcumque secretiones quum ad fermentationem pervenerint irritationem inferunt localem et textus indefensos desinunt.

Infectiones generales acutæ, ut tiphoidea, etc.; traumatismi in illa regione; mansturbatio ob irritationem illatam; coitus incompletus et aliæ similiæ producunt vulvo-vaginitim, seu melius, resistentiam textibus adimunt et microbiorum actioni locum parant.

Datur *vulvo-vaginitis vulgaris* et *vulvo-vaginitis specifica*: prima respondet actioni microbiorum vulgarium: streptococcis, staphyloccocis, bacterio colli et cæteris mi-



Fig. 37. — Tubuli seminiferi



Fig. 38. — Salpingitis seu inflammatio tubæ fallopianæ et ovariorum

crobiis anærobiis, quæ floram regionis vulvo-vaginalis constituunt. Ipso facto, quod præfata microbia jacent in illa regione, nequaquam determinatur affectio, sed ultra requiritur ut epidermis cutanea amittat ejus resistentiam. Secunda seu *specifica* sese exhibet in presentia microbii determinati. Præcipua infectio hujus ordinis est *gonococica*, vel producta a gonococo Neisser. Hodie constat, quod simplex præsentia gonococi in regione vulvo-vaginali, sufficit ex se ad blenorragiam producendam. Sed de his, infra.

Alterationes anatomicæ, quæ hanc affectionem comitantur sunt satis variabiles juxta intensitatem ægritudinis; formæ tamen præcipuæ sunt: vulvo-vaginitis *catarrhalis*, *ulcerosa* et *suppurata*.

Prima seu catarrhalis frequentius accidit; quoad ulcerosam et suppuratam sufficit ut confessarius cognoscat earum symptomata ad phænomena dijudicanda et morbosa a normalibus perfecte distinguat.

Primum ac potissimum symptoma quod infirma experitur est quædam sensatio ardoris in regione infecta, plerumque comitata a pruritu plus minusve intenso, præsertim circa labia magna et parva. Cum affectio sit intensior, dolor experitur quoque in monte Venus et in proximis regionibus.

Aliquid insuper circa neoplasiam addere volumus. Neoplasia sibi vult efformationem novorum textuum.

In regione genitali mulieris quædam exeunt vegetationes, quæ nullo modo influunt in ardorem naturæ vel in provocationem sensualitatis, si primos dies excipias, in quibus eas comitatur quædam vulvitis.

Itaque, *papiloma*, sæpe ab irritatione liquidorum vaginalium supra pellem, producta; *elefantiasis* in qua magnus tumor in vulva apparet; *quiste* sive in glandulis Bartolinii, sive in qualibet parte apparatus, generatim non censendæ sunt causæ attenuantes mansturbationis, nisi in prima periodo, quando quemdam pruritum secum ferunt.

Perfacile, ergo, confessarius diagnosim instituere valet circa affectiones genitales, quæ aliter possent æquos reddere quosdam tactus aut visus ratione medicinæ necessarios.

Articulus 3.us

De infectione blenorragica in utrisque sexibus

De infectione *siphilitica* egimus in libro primo, quatenus centra nervea attingit; nunc autem de infectione *venerea* blenorragia nuncupata pertractare oportet, quia relate ad utrumque sexum est infectio superabundans, et periculis plena quoad conscientiam. Ideo afferre oportet præcipuas notiones, quæ confessario convenire possunt.

Blenorragia est ægritudo quædam infectiva cujus agens pathogenus est gonococus. In viro manifestatur sub forma uretritis; in femina, sub forma vulvitis, vaginitis vel metritis.

Distinguitur per quemdam fluxum muco-purulentum; olim autumabant nonnulli hunc fluxum esse sperma seu semen corruptum, unde nomen *gonorreæ.*

Symptomata sive in periodo *initiali,* sive in periodo *status,* sive in *declinatione,* sunt, juxta Pouillet in ejus opere *Tractatus de fluxibus blenorragicis:*

1.º Post viginti quatuor vel quadraginta et octo horas, quam vir vel femina coitum impurum habuerunt, subjectus infectus experitur specialem sensationem titilationi similem. Hujusmodi sensatio est summe delectabilis et ad erotismum fortiter inclinans. Hanc sensationem insequitur affectio dolorosa, quæ usque ad tertium diem perdurat.

2.º In periodo status, tumefactio labiorum meati urinarii augescit; fluxus fit abundantior ex glande, seu clarius, pene totum veram inflammationem patitur.

Tunc erectiones sunt frequentiores quam in statu physiologico seu normali; quadam acerbitate comitantur, præsertim in nocte. Ex his erectionibus pathologicis raro sequitur effusio seminis; et si aliquando locum habet, ejaculatio non est voluptuosa sed aliquantum molesta et cum aliquibus guttis sanguinis.

Cum augescit inflammatio et iterantur erectiones, infirmi majores experiuntur dolores, et interdum ad media bru-

talia recurrunt uti sunt inter alia vapulare pene supra planum resistens positum, vel provocare uretrorragiam, quemadmodum fit a militibus et nonnullis viris in exiguis populis habitantibus.

Hi qui prima vice blenorragiam vel aliam infectionem genito-urinariam patiuntur, characterem psychologicum et moralem notabiliter mutant, et fiunt tristes, inculti, etc.

3.° In declinatione ægritudinis, symptomata fiunt debiliora, inflammatio decrescit in pene, erectiones sunt minus frequentes, et status generalis in melius evadit.

Nihilominus infectio, licet ad declinationem pervenerit, potest causa mansturbationis, coiti indebiti vel defectus hygienici retrogradiri et symptomata recrudescere; vel etiam statum chronicum instituere.

Periodus initialis durat prope sex dies; periodus declinationis, viginti dies.

Implicationes blenorragicæ plures dantur in viro: *fimosis* seu absoluta reductio annuli præputialis, qua impeditur glande detegere; *penitis* sive pathologicum augmentum penis ob infiltrationem linphæ in ipsum; *linfangitis*, quæ per turgescentiam ostenditur in pene; *flebitis venæ dorsalis penis* in qua maxime inflammatur organum; *prostatitis acuta*, quamvis hæc inflammatio frequentius ocurrat in blenorrea; *vesiculitis* quæ sibi vult inflammationem vesicularum seminalium, ex qua sæpissime oritur spermatorrea. Et aliæ quamplurimæ implicationes in quarum enumeratione non inmoramur.

Quoad spermatorream advertendum est, quod inflammatio uretralis paulatim pervenit ad canalem ejaculatorem et ad organa spermogenesia, provocans in ægroto maximam pronitatem ad actum venereum. Iteratio contractionis vesicularum efficit ut ejaculatio frequens atque involuntaria occurrat (1).

(1) In XXI Congressu Alienistarum in Gallia habito, mense Augusti, anno 1911, actum fuit a Famenne de quæstione præsenti sub hacce formula: *De delirio systematizato persequutionis in blenorragiis*; ex qua, sequentia conclusit: 1.° Infirmitas infectiosa creat in ægrotis specialem dispositionem, prædispositioni hæreditariæ similem, suum nerveum systema magis sensibile atque susceptibile reddentem; 2.° Infectio operatur tum per lentam diffusionem toxicorum erga totum organismum, tum præsertim, ob alterationem productam in secretionibus internis glandularum

Dantur infirmi blenorragici, qui *uretromaniam* patiuntur, quique per iteratos tactus sese penem vel uretram comprimunt ad guttam imaginariam exprimendam; quemadmodum inveniuntur crebro blenorragici ad violationem proni. Plurimum temporis olim extitit stulta fabula, juxta quam credebant permulti blenorragiam mederi per coitum cum virgine. Unde, ut inquit Tardieu, hujusmodi pronitas quæ ducit ad violationem, fere totalier producitur a desiderio medendi. Ast, hæc causa nullomodo excusat a peccato nec illud minuit, nisi ad maniam graviter pathologicam pervenerit. Videndur insuper, an voluntarie infirmitatem contraxerit.

Hactenus egimus de blenorragica infectione in *viro*; sed quid de *muliere*?

Pauca addenda sunt, nam præter supra exposita, scimus cunctas partes genitales infectari a gonococo et abscessus, inflammationes et læsiones ex inde oriri.

Mulier est minus prona quam vir ad tactus manuales, ob ipsammet anatomicam contexturam.

Clinicæ manifestationes gonococtiæ genitalis sub nomine *blenorragiæ* notæ, sunt summe variabiles, tum quoad intensitatem tum quoad durationem, juxta majorem vel minorem resistentiam organi. Infectio gonococica supponit semper et in omnibus contagium. Hodiernis temporibus et in statu actuali microbiologiæ prorsus illicitum est generationem spontaneam blenorragiæ defendere. Plerumque accidit quod micrococci Neisser jacent latenter in quolibet loco vulvæ et vaginæ et ad apparatum virginem vel exemptum transferuntur, vel in eodem novam virulentiam acquirunt ob varia accidentia uti sunt: periodus menstrualis, excitationes genitales, et substantiæ irritantes.

In articulo de *vulvo-vaginitis* agente, inveniet confessarius, quod ultra desideret relate ad infectiones genitales in mulieribus.

genitalium et annexorum; 3.° Natura delirii relationem directam servat cum natura infectionis; ex. gr. affectio grippalis producet mentalem confusionem; tuberculosis gignet neurasteniam; syphilis hypocondriam, alcool hallucinationes et blenorragia persequutionem pariet.

Therapeutica. Curatio blenorragiæ est præsertim hygienica et medicamentosa. Quamvis paradoxon videatur asserendum est cum Fargas, quod antiseptici energici proscribendi sunt, nam solutiones bicloruri vel bijoduri de mercurio, acidi phenici, lisol, formol, etc., contraindicantur. Suadeat confessarius ut adeat ginecologum vel medicum specialem et ille efficiet ut tollatur causa producens et sufficienter deffendatur vis propria textuum per lotiones vulvares et vaginales, medicamenta astringentia præferendo quam medicamenta antiseptica, ut sunt sulphureus acidus de zinc (6 a 8 per 1.000), acidus boricus (4 per 100), vegetales decocti ut flos sambuci, etc.

Pouillet ad singulas formas infectionis suadet et tradit specialem tractationem. Quamplurima admittuntur adhuc in recenti therapeutica, sed nonnulla absolute ab autoribus rejiciuntur.

Confessarius minime debet ob reverentiam sacramenti et ob periculum morale, quasdam tradere præscriptiones, elementali sensui prudentiæ et moralitatis contrarias.

Articulus 4.us

De prurito in utrisque sexibus

Pruritus est complexus sensationum, qui expergefaciunt desiderium et necessitatem scabendi.

Existit pruritus purus veluti phænomenon physiologicum omnibus hominibus et plurimis animalibus commune. Tunc est reactio normalis pellis ad diversas excitationes in illam operantes. Ordinarie producitur a nonnullis parasitis. Præfatus pruritus generatim non est morbosus, quamvis interdum a gradu minimo et inconsciente gradum maximum et intolerabilem adipiscatur.

Pruritus potest dividi in *symptomaticum* et *essencialem*. Primus pendet a læsionibus, traumatismis, neoplasiis et parasitis in viro; pendet similiter e formis variis epiteliomæ, endometritis, affectionibusque ovarii, etc., in feminis. Coitus exaggeratus et mansturbatio frequenter vulvitim prurigino-

sam producunt. Ginecologi, demum, diagnosim circa diabetem instituunt, aliquando propter præsentiam pruriti vulvaris.

Phænomena pruriti symptomatici perfacilem explicationem admittunt: contactus substantiarum irritantium cum vulvaribus tegumentis gignunt irritationem in vulvis causa pruriti. Idem accidit in aliis locis organismi ob varios productos irritantes vel causticos.

Quandoque postquam elementum pathogenum genuit pruritum, e medio recedit, sed manet effectus seu persistit pruritus; et hoc sensu existit forma symptomatica et forma essentialis pruriti.

Locus pruriti est variabilis, sed frequentius in pene et ano cum de viro agitur; in vulva, labiis parvis et magnis et clitoride in femina.

Dantur ægroti sexus feminei, qui post menses et annos scabendi propter pruritum, vulvam, clitoridem et ninphas fere destructas habebant. Status generalis infirmorum in deterius commutatur, et in crises nerveas et neurastenicas resolvitur.

Therapeutica. Prognosticum pruriti fere semper est leve relate ad cursum et terminum, licet aliquando maximam gravitatem inferat ob intensitatem et durationem. In primis aufferi debet causa pruriti: ex. gr. traumatismus, infectio, mansturbatio, etc. Sunt contraindicatæ lotiones aquæ cum sapone, nam hic effectus irritantes habet in mucosam vulvarem; præponendæ et suadendæ sunt semper lotiones aquæ post ejus ebullitionem, solutio borica præsertim cum flore sambuci, et potissime aqua post ebullitionem cum sulphato de zinc (1/2 per 100). Hujusmodi lotiones fieri debent bis in die et summa cura.

Aliæ dantur indicationes ut nitrati argenti (1 vel 2 per 100) vel suaviter tangere superficiem pruritosam in gravibus casibus cum vecto nitrato.

Pruritus est magni momenti et totis viribus suaderi debet ejus curatio; nam ægrotus scabit ad irritationem sedandam; actio sequitur plerumque usque ad excitationem sexualem; necessario gignitur congestio organi ex

qua procedit persæpe æstus venereus a quocumque confessario perspectus.

Articulus 5.us

De psychopatia a graviditate producta

Pinard graviditatem definivit: «statum functionalem particularem feminarum, quæ postquam præcessit fæcundatio, ferunt et alunt conceptionis productum». Gestatio, omni tempore, perturbationes plus minusve transcendentes in organismo materno producit, quæ characterem pathologicum acquirere valent, et adeo centra nervea pellicere ut veras gravesque confusiones mentales generent.

Ad hunc statum refertur præsens articulus: tecnica clinica eum vocat *psychosis graviditatis, dementia puerperalis*; status, qui persæpe manifestatur per simptomata kleptomaniæ, (impulsionis ad furtum), per obsessiones, ideas inordinatas, etc. Graviditas et puerperium in statu pathologico generatim mentem haud perturbant nisi personarum aliquantum prædispositarum, taxemia seu sanguinis intoxicatio, enim, et nonnulli aliæ formæ morbosæ minime offendunt nisi organismos læsos vel insufficientes propter hereditatem pathologicam.

In graviditate physiologica seu normali frequentes contingunt inordinationes mentales, licet levioris momenti, quæ secum ferunt characteris modificationes, intelligentiæ confusionem, gustus perversionem atque diversas impulsiones. Cum præfatæ perturbationes majorem intensitatem acquirunt ad vesaniam perducere possunt. Raro accidit, ut confusiones et alterationes mentales sese aperte exhiberent tempore graviditatis; ad summum symptomata melancholiae apparent.

Animadvertendum est, quod prognosis dementiæ, quæ in graviditate incipit, plerumque ob basim hereditariam præ se graves manias aliasque consequentias fert. Forma præcipua quam acquirit, quando post partum immediate determinatur est *dementia puerperalis* de qua statim.

Amentia puerperalis, juxta ejus symptomata, ¿est ne forma aliqua specialis mentalis alienationis? Minime, quidem, sed ejus expressio symptomatica accusat complexum vel associationem maniæ simul ac melancholiæ cum confusione mentali et impulsivis phænomenis, quæ habentur veluti stigmata degenerationis. Demum, symptomata sese exhibent variis formis, tum associatione exaggerationum vel depressionum, tum associatione confusionum atque impulsionum, quæ serio accusant *naturam nerveam graviter degeneratam ob hereditatem* et *intoxicationem*.

Causæ *prædisponentes* sunt, inprimis, *hereditas*. Doctor Alexander Paris (1) scribit, ipsum inter millia alienatorum, nec unum tantum casum invenisse amentiæ puerperalis absque hereditate. Omnes sive ex alcoolicis, alienatis, epilepticis,, sive ex subjectis inæquilibrum nerveum patientibus, procedebant; id est, ex ægrotis in quibus nerveum systema est *locus minoris resistentiæ*, ut fert effatum.

Cæterum, impulsiones, his in casibus, sunt valde frequentes, et impulsivitas, generatim est stigma vel signum degenerationis.

Quis non vidit hujusmodi feminas noxiis conditionibus vitam degere? Status earum physicus, status moralis et status socialis, generatim sunt miseri. Indigent hygiene, egent nutritione, deest ipsis educatio moralis, et facillime supervenit *intoxicatio* amentiam determinans. Est supra modum gravissima actio noxia intoxicationis in nerveum systema ægrotum.

Amentia puerperalis communiter in tres periodos et classes dividitur: 1.°, in deliria infectiosa; 2.° in deliria per autointoxicationem; 3.°, in psychoses proprie dictas.

Deliria infectiosa exhibent formam communem confusionis mentalis. Non sunt necessario infectiones graves illæ quæ majores gignunt confusiones mentales, sed interdum sunt levissimæ. Accidit cum periodus febrilis est in notabili descensu vel prope terminum. Exordium, tamen, in genere,

(1) *Les troubles de l'intelligence, de la sensibilité ou de la volonté chez les femmes enceintes, nouvelles accouchees ou nourrices*, Paris, 1911.

est celer et cito ad gradum acutum pervenit. Infectio, ergo, præstantissimum munus adimplet in determinatione amentiæ erga puerperas (1).

Existunt *deliria ab auto-intoxicatione* producta in gravidis atque puerperis, ait Grasset, quando deficit sufficiens resistentia antitoxica, ex qua oriuntur albuminaria, vomitus, infectiones collibaccillares, eclampsia et potissime *uremia*, quæ systema nerveum cerebro-spinale speciali modo offendit.

Uremia nervea in gravidis et puerperis hæc accidentia complectitur: *Parva signa nervea* ex quibus præcipuum est *cephalalgia*; citantur quoque *neuralgiæ, criestesia* seu sensatio frigida, et quædam exaggerationes reflexuum.

Accidentes seu affectiones nerveæ, viscerales, epileptiformes, psychoses prædictæ etc., deducere permittunt, intoxicationem uremicam potissime lædere systema nerveum et particulariter bulbum. Hujusmodi assertio est valde conformis cum doctrina recenter acquisita circa retentionem uricam in liquido cephalo-raquideo.

Tertium genus amentiæ puerperalis constituitur a *psychosibus* proprie dictis; scilicet: amentia periodica, melancholia et mania, dementia precoci, confusione mentali, deliriis systematizatis (ideis paranoicis seu persecutionis) et deliriis transitoriis. Ægroti ideas confundunt, voluntatem amittunt, sensibilitatem perturbant et conscientia demum privantur.

Clinica rite comprobata has firmat conclusiones relate ad infectionem uterinam et febrim puerperalem.

Magister G. Winter de Koenisberg, Prusia (1912), animadvertit, partus locum habere in zona libera a bacteriis in ejus parte superiori, minime vero in inferiori. Par-

(1) Doctor Andreas Boutet, in opere recenti, *Contribution a l'étude des troubles mentaux d'origine puerperale* (thèse de Paris, 1911), tuetur, quod status puerperalis proprie non constituit ordinem determinatum psychosis, sed tantum est ejus causa occasionalis. Hic status operatur in locum prædispositum. — Ad *Societatem clinicam Medicinæ mentalis*, sessione 20 martio habita, anno 1911, ducta fuit a M. Picque, mulier puerpera, quæ postquam peperisset absque ullo accidente, aliquibus diebus transactis, gravis maniæ affectio ei supervenit, adeo ut in Asilum sanctæ Annæ reclusa fuerit. Res mature perpensa, inventi fuerunt in cavitate uterina plurima residua placentæ. Semel extractis, et utero ab infectione purgato, rapide et simul febrim atque delirium amissit.

tus producit semper læsiones extensas, quarum germina, puerperio durante, ducuntur ad proximitates peritonei et ad magnas venas pelvianas, vi intensissimæ reabsortionis in læsionibus effectæ. Germina bacteriarum sistunt fere semper in genitalibus externis.

Hodie firmiter tenetur, germina infirmitates puerperales determinantia esse constanter habitantia in vagina. Ibi perspiciuntur, ope microscopii, staphylococci et streptococci, qui, dum ad læsionem non transferantur prorsus inofensivi manent.

Therapeutica præventiva suadet, ut maxima cura habeatur a domesticis erga prædispositam ob hereditatem, nam notum est, quod in nullo prædisposito rite auxiliato determinatur infirmitas. Itaque, puerpera indiget intensa nutritione, privetur etiam lactatione, secus determinabit ægritudinem propriam et salutem filii offendet.

Quoad therapeuticam curativam adeat medicum, qui præscribet tonica, reconstituentia, ferruginea et ea omnia quæ *demineralizationem* organismi medentur.

Articulus 6.us

De neurastenia genitali in utrisque sexibus

Terminus «neurastenia» litteraliter acceptus, significat asteniam seu debilitationem nervorum et musculorum. Fundamentaliter spectata est quid dynamicum, quia accusat quamdam insufficientiam nervi potentialis, qui quandoque fere totalitatem systematis afficit, interdum regionem aliquam particularem, ut est cerebrum, medulla, apparatus urinarius vel apparatus genitalis. De hac posteriore in præsenti articulo agere volumus.

In viro, astenia genitalis manifestatur per quamdam depressionem sexualium functionum. Clinice, hocce symptoma secum fert depressionem vel debilitationem ardoris sexualis. Vix stimulus experitur; erectio est incompleta; ejaculatio vel est rapida et absque voluptuositate, vel est

summe difficilis et cum tædio. Nec tota vi repræsentativa potest centra psychosexualia excitare, neque tota vi emotiva valet delectationem experiri. Ut facile comperitur, hujusmodi neurastenici plures pollutiones involuntarias patiuntur. (Vide caput *de Pollutionibus.*)

In femina neurastenia genitalis est *vera neurosis sub basi apparatus utero-ovarici et pelvis.* Unde diversæ notantur perturbationes hujusce apparatus in cursu et evolutione neurasteniæ.

Distinguuntur formæ primariæ ac substantiales et formæ secundariæ, accidentales: postremæ attingunt tantum ad diminutionem desideriorum et voluptuosarum sensationum. Existit forma gravior neurasteniæ ab alterationibus majoris momenti producta et per phænomena graviora manifestata ut infra videbimus.

Præter alias causas pathogenicas neurasteniæ infectionem genitalem, sensationem, emotionem et debilitationem nutritivam nunciare volumus. Patet, phænomena psychopathica, quæ in sensationibus realiter expertis nituntur, sive sint objectiva sive subjectiva, maxime contribuere ad exaggerationem inordinationum genitalium.

Clinicus facile inveniet intimam relationem et mutuum influxum apparatum genitalem inter et statum psychicum. Aliquando basim realem in organismo adinveniemus, aliquando in imagine vel in emotione.

Quatenus ad infectionem spectat, viæ genitales, præsertim in femina abundantem saprophytismum normalem offerunt. In vulva adsunt aerobii: streptococci; in vagina aenerobii: micrococus fetidus, acillus funduliformis, nebulosus et caducus.

Constat, apparatum internum (uterum, tubam atque ovarium) nullum continere germen in statu normali.

In muliere frequentius datur neurastenia genitalis quam urinaria; secus in viro, in quo datur frequentius urinaria, quam genitalis; licet, ut scribit Legueu (1), ambo apparatus intimum ac mutuum nexum servent.

(1) *Tratado médico-quirúrgico de las vías urinarias.* Barcelona, pág. 226.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Nihil addendum esse censemus circa *priapismum*, seu erectionem violentam, incoercibilem ac acerbam ex quadam ægritudine ortam. Priapismus æque ac uretritis habentur veluti basis physiologica præfatæ neurasteniæ.

Hujusmodi neurastenia, ut supra innuimus, secum fert præter prostatorream, veram spermatorream, quæ fit absque erectione, involuntarie, sine voluptuositate et plerumque quin provocetur.

Itaque, neurastenia genitalis, in genere, complectitur infectionem vel læsionem in apparatu respectivo; similiter censetur producta causa perturbationis circulatoriæ vel trophicæ vel perturbationis psychicæ. In femina, maximum habet influxum neurastenia cum apparatu utero-ovarico (1) et cum productione neuralgiæ pelvianæ, quæ secum fert plures psychicas perturbationes.

Ast symptoma gravissimum neurasteniæ sexualis est *clinomania*, seu mania vi cujus ægrotus plus æquo jacet in lecto. Non agitur de illis qui vi affectionis sexualis acutæ vel subacutæ necessario jacere debent; sed de illis qui absque febri, absque affectione pelviana acuta vel subacuta, etsi affectionem vel læsionem genitalem chronicam, plus minusve dolorosam habeant, constanter in lecto requiem quærunt.

Auctor supra citatus, quærit: Existuntne neurastenici ab omni affectione utero-annexiali privati, qui simul sint clinomani? Respondet ipse: factum est possibile, ego vero nullum adinveni.

Clinomania plures habet formas: aliqui fere tota die in sella longa jacent; licet visitationes amicorum recipere valeant, et paucissimis minutis iter facere conentur; alii prorsus incapaces se ostendunt ad omnia.

Consequentiæ clinomaniæ ut patet et pluries comprobatum est, sunt valde tristes erga familiam, maritum et filios. Disolvitur vita domestica, vinculum morale et ordo æconomicus.

Therapeutica primum oportet ut sit psychica; deinde

(1) Jules Batuaud: *La neurasthénie génitale féminine*, Paris, 1906.

adeat medicum ut aspectus ginecologici quæstionis curam habeat. Dr. Moritz Porosz (1) suadet potissime methodum hydrotherapicam.

Medicus animarum suadeat ægrotis ut laborare conentur; ipsorum voluntatem reeducet, sensus morales efformet et quamdam pacificam sugestionem in ipsos inferat.

(1) *American journal* of *Urology* (février, 1911).

CAPUT III

DE PSYCOPATHIA MENSTRUATIONIS

Hocce phænomenon seu functio est quædam hemorragia uterina, quæ statis temporibus apparet in feminis a pubertate ad menopausiam. Generatim locum habet semel in mense. Cum perficitur modo regulari, æquali ac constanti vocatur *regula physiologica* vel normalis; cum vero functio perficitur modo graviter acerbo et cum seriis perturbationibus nervei systematis ac mentis nuncupatur *regula pathologica.*

Quis ultra desideret, consulat physiologiam manualem; nobis vero prædicta sufficiunt, quippe quod ad scopum nostrum spectant tantummodo, quæ statum mentalem, moralemque attingunt.

Status physiologicus secum fert quamdam irritabilitatem, languorem, tristitiam, inertiam, despectum, suspiciones, ita ut mulieres et præsertim puellæ egeant pacientia et studio speciali.

Quid vero dicendum de regulis pathologicis? Quinam sunt characteres et quænam consequentiæ earumdem?

Existit, in primis, psychosis menstrualis. Nemo non videt puellam vitam suam psychicam tempore pubertatis proprie incipere. Tunc detegitur mundus sensuum moralium, idearum atque mundus sensationum sexualium. Transformatio quam patitur puella in ordine physiologico, est causa materialis cur spiritus novas ideas inquirat, judicia perscrutetur, affectiones acquirat et voluntatem affirmet. Abs dubio, maxima extitit relatio cerebrum inter et apparatum reproductionis. Persæpe læsiones uteri et ovarii respondent in mente. Status mentalis et affectivus perso-

narum post castrationem vel ovariotomiam, præbet nobis tot argumenta quot casus perturbationum. Puella, ait Francillon (1) cum jam pervenerit ad ultimam phasem pubertatis acquirit completam evolutionem in organismo physico, sexuales characteres, progressum mentalem, maturitatem reflexionis, firmitatem characteris et affirmationem personalitatis.

Idem dicito de sensu pathologico et consequentiis graviter morbidis, quæ plerumque accidunt causa primæ menstruationis, juxta communem auctorum sententiam. Pinel (2), Esquirol (3), Morel (4) et alii maxime insistunt in eadem affirmatione, scilicet: a pubertate, ob alterationes sexuales a regulis productas, egrediuntur quamplures psychoses, quæ postea in decursu vitæ, occasione alicujus accidentis, traumatismum vel infectionem determinant. Catalogus psychosis et formæ ægritudinum periodum menstruationis pathologicæ insequentium est numerosus.

Præter psycoses puras maniæ, melancholiæ, confusionis mentalis, delirii hallucinatorii; præter status regressivos dementiæ præcocis, hebephreniæ et paralysis generalis progressivæ, dantur psychoses particulares ut sunt kleptomania, pyromania, dipsomania, monomania homicida, monomania suicida, excitatio genesica, erotomania, nymphomania, deliria religiosa et aliæ quamplurimæ de quibus pauca peragam.

Implicationes pathologicæ. In primis hæc principia præ oculis habenda sunt: 1.º Cerebrum atque ovarium, etsi inæqualiter, sese mutuo influunt; plurimæ perturbaciones psychicæ non tantum rationem meræ coincidentiæ seu fortuitam habent, sed rationem causalitatis, ut statim enucleabo. 2.º Cunctæ affectiones nervei systematis, quæ ad *excitationem* tendunt, sunt materia proxima in alteratione regularum pathologica; seu clarius, hoc phænomenon pathologicum gene-

(1) *Essai sur la puberté chez la femme*, Paris, 1906.
(2) *Traité médico-philosophique sur l'aliénation mentale*, Paris, 1809.
(3) *Des maladies mentales*, Paris, 1838, pag. 16.
(4) *Traité des maladies mentales*, Paris, 1860.

ratim certum ac maximum influxum in exaggeratione hujusmodi perturbationis exercet.

Dr. Marc, inter plurimos casus, enarrat factum cujusdam feminæ, quæ licet periodum normaliter semper habuerit sive quoad tempus sive quoad quantitatem, tamen dum sub influxu ipsius periodi esset summam nervorum exaltationem patiebatur cum intellectus seu rationis amissione; conatus homicidii significabat et alia quamplurima ostendebat.

Bertier agit de femina, quæ absque ullo influxu moralis affectionis, magnas patiebatur in periodo regularum intelligentiæ perturbationes.

Plurimi afferuntur casus in quibus apparent vera alienatio mentalis, nervea exaltatio, furor eroticus, pronitas ad suicidium, ad homicidium, ad furtum; mania persequutionis, hallucinationes, pathologica affectivitas et aliæ mentales ac morales inordinationes, causa exclusiva regularum. Inter alios consulere potuimus ultra citatos, Brierre de Boismont, Raciborski, Etme Courot, Loiseau, Esquirol, Dauby, Boyer, Brachet et Guislain.

Præfatæ formæ perturbationum mentalium mire panduntur, præ oculis habentes mechanismum psychosis menstruationis.

Anatomia docet apparatum sexualem maximam ac intimam servare relationem cum nerveis centris. Uterus potissime atque ovarium, magnis fasciculis gangliorum sympathicorum potiuntur, æque ac retibus nervorum, qui e plexibus hypogastricis, sacrolumbaribus, coccygeis ac femoralibus procedunt. Hi nervorum plexus vi anastomosis necnon extensarum ramificationum affluenter communicant cum plexibus et gangliis nervi trisplanchnici seu magni sympathici. Cl. Bernard extense commonstravit evidentem influxum ex organis ad cerebrum et mutuo, ope magno sympathico exercitum. Hæc perdifficilis functio regularum expletur in potenti centro nerveo strictam servans connexionem cum axo cerebro-spinali. Eadem ratione redditur causa, cur in hacce periodo perturbationes frequentius existant in systemate ganglionari cum specialibus characteribus, *statu nervoso*, *neuropathia proteiformi* ac *nervosismo* a quibusdam auctoribus, vocatis.

Quum regulæ cessant propter ætatem (45 aut 50 vitæ anno), quædam interdum accidunt phænomena psychopathica e *pletora nervosa* vel e *pletora sanguinea* procedentia.

Interdum regulæ repente sistunt citra ullum diminutionis indicium, quod tamen raro accidit; quandoque sensim vero sensimque desinunt. Quædam desinentibus regulis per vices sunt pluribus phænomenorum eorum obnoxiæ diversimode consociatis, modo suffocationibus letaliter laborant; nonnulla tandem organice atque psychice vicissim vexantur, vel utrisque uno, eodemque tempore cruciantur. Plerumque compertum fuit, quod feminæ in hac ætate menopausica quasdam acquisivere psychoses, quandoque breves, interdum vero, unum vel duplicem annum perdurantes. Nihilominus pluries agitur de prædispositis ob hereditatem vel quasvis ægritudines.

Casus innumeri adducti a Francillon (opere cit.), Krafft-Ebing (1), Icard (2) aperte commonstrant intimum nexum, imo et causalitatem, non simplicem et casualem concursum, existentem inter regulas pathologicas et plures psychoses.

Animadvertito, quod formæ psychosis respondent prædispositionibus individualibus, sive sint affectivæ, sive appetitivæ, impulsivæ, obsidentes, maniaticæ, etc.

Quoad *responsabilitatem moralem*, confessarius distinguat elementum pathologicum ab elemento libero in factis conscientiæ. Qui operantur aperte juxta symptomata graviter psychopatica, prorsus irresponsabiles censendi sunt. Cum stimulus materialis vel psychicus sit tantum elementalis nullomodo minuit responsabilitatem; si vero est alicujus momenti attenuat responsabilitatem. Simplex prædispositio est motivum leviter excusans. Feminæ, generatim, in hacce periodo, irrationabiliter timent de peccato, de damnatione et de suicidio ac plures scrupulos patiuntur.

(1) *Médecine légale des aliénés*, Paris, 1911, pag. 444.
(2) *La femme pendant la période menstruelle*, Paris, 1890.

CAPUT IV

DE SPERMATORREA

Sensu latiori accepta est effusio involuntaria spermatis extra actum conjugalem. Juxta Legueu, addi debet: quæ perficitur fere inconscienter, absque erectione et spasmo et crebro absque provocatione. Proprie accepta, non agitur de infirmitate, sed de symptomate; nec confundenda cum pollutione, de qua infra agendum est, neque cum ejaculationibus oniricis, quæ aperte sunt sub dependentia excitationum sexualium, et ideo non sæpe inter physiologicas numerantur.

In nonnullis psychastenicis dantur hallucinationes, vi quarum perspicitur hoc phænomenon ubi non est: imaginatio horum ægrotorum frequenter pertubata est ab habitibus mansturbationis. Confessariorum est scire, si hujusmodi ægroti sunt adhuc juvenes, num ad ordinem mansturbatorum vel blenorragicorum plerumque pertineant; si de senibus agatur, frequenter sunt prostatici vel infirmi ex incitis cronicis affecti. Præfati obsessi vel hypochondriaci generatim sunt impotentes.

Spermatorrea frequenter adest post *ictum apopleticum* vel comicialem; in decursu quarumdam pirexiarum, ut *tiphoidea* in initio *tabes* et in nonnullis modis paraplexiæ; in cunctis his casibus dari potest ejaculatio, quin sensationem vel erectionem patiatur. Simplex nixus defæcationis mechanice evacuat interdum vesiculas seminarias; quamvis aliquoties loco spermatis sit liquidum prostaticum.

Clinica perfecte distinguit *prostatorream* a *spermatorrea*: in prima nullum adimvenitur nemasperma, sed tantum cellulæ epiteliales, simplexiæ, crystalli Bottchet et formæ

mucosæ criptarum glandularum. Secunda, difficulter habet liquidum normale et completum, nam nemaspermata jacent vel imperfecte evoluta vel mortua vel in congerie cum leucocitis conjuncta. Spermatorrea sub aspectu pronostici, paucam habet significationem; est præsertim status mentalis ægroti, qui ei præbet fictum valorem.

Cum perspexeris ejaculationem pathologicam provocari absque spasmo nec excitatione, horis diurnis, postquam æger minxerit vel defæcaverit, prævide initium spermatorreæ.

Legueu (op. cit.), postquam enucleavit existentiam facti et ejus characteres perscrutatus est, inquirit ætiologiam et sequens notatu dignum tradit: «Quod potissime investigari debet, est *nervei systematis* infirmitas. In principio, medullæ ægritudines excitationem centri genito-spinalis determinant; post excitationem venit paralysis et tunc apparet spermatorrea, quæ pollutiones sequitur. Probabiliter his in casibus, adest tabes.»

Cum non existat hujusmodi causa, inquiratur utrum adsit læsio aliqua localis; uretritis posterior externa effusiones seminales producit, quando ad ductus ejaculatores se extendit. Medicus ergo inspicere debet uretram ope uretroscopii. Inquiratur quoque, utrum aliquæ læsiones minus graves sint causæ irritationis cujusdam, primo ad pollutionem, deinde ad spermatorream ducentis. Aliquoties, simplex phymosis ad instar circuncisionis delineata sufficit ad pollutiones tollendas. Quandoque reflexus oritur ex herpe in glande sito, ex eczema penis, hemorroide vel ex ani scissura; imo, inderdum producta fuit spermatorrea ob dilatationem uretræ et lotionem vesicæ (Dommer).

Cum alia nullibi inveniatur causa deducere licet phænomenon ex neurastenia venire; fere omnes spermatorreici sunt neurastenici, imo fas est asserere hos infirmos constituere perfectum typum neurasteniæ urinariæ vel sexualis et adhuc alienationis mentalis. Sunt tristes, diffidentes, desperati usque ad suicidium; dispeptici, patiuntur oppressionem, sensibilitatis alterationes, sensationes frigoris, sensationes subjectivas, auditivas et visivas; desideriis carent et violentos capitis dolores experiuntur sive in die sive in nocte.

Non raro evenit, quod hujusmodi infirmitas respondeat hereditariæ prædispositioni; et tunc simul ostendunt excessus genesicos in mansturbatione effrenata et in actibus conjugalibus. Organismus perfacile assuefit ad reflexus aliasque inordinationes.

Clarissimus Féré (1), eruit ex Malecot (2), phænomena spermatorreica produci posse ab excitatione psychica intensa.

Pouillet in opere ad hoc dicato (3) docet quomodo mansturbator possit ad spermatorream pervenire. Causa hujus vitii, scribit, testiculus superexcitatus celeriter atque affatim segregat productum, quem tubæ defferentes, nimia rapiditate, ad reservoria, morbide susceptibilia, ducunt. Hujusmodi evacuatio nimis festina, inmediate novam massam quærit, ad quam glandula pervenire nequit ob defectum sanguinis. Paulatim circulus pathologicus statuitur et vix semen in vesiculas ingreditur convulsive emittitur et aliud reponitur et sic successive de aliis. Hac de causa, semen physiologicum fit pathologicum, degenerat, roborem ac fortitudinem amittit et post quamdam permanentiam in vesiculis, nequit erectiones naturales provocare. Ceteroquin, vesiculæ, ob repetitas contractiones maximam irritabilitatem acquirunt, et ideo facillime evacuantur sub quolibet influxu psychico, auditivo, visivo, simplici contactu, etc.

Ut clare perspicitur, quod transcriptum manet sunt naturalia consequentia, quæ liquent ex principiis ac factis in decursu operis expositis, et in capite *De automatismo sexuali* ultra studendis.

Comby (4), addit, studium spermatorreæ comitari debere studium onanismi; est, enim, neurosis genitalis ejusdem generis et crebro in iisdem subjectis reperitur. Forsan tantum differant in eo quod, onanismus evolvitur præcipue in pueris, altera vero in adultis; licet qui primum

(1) *Pathologie des émotions*, Paris.
(2) *De la spermatorrhée*, Paris, 1884.
(3) *Estudio médico psicológico sobre el onanismo en el hombre*, Madrid, 1884.
(4) *Spermatorrhée* in *Traité de Thérapeutique pratique* par A. Robin, vol. IV, pag. 563, Paris, 1913.

fuit mansturbator, demum frequenter fiat spermatorreicus.

Lallemand jure meritoque asserit spermatorream determinare plerumque neuroses et vesanias, graves perturbationes in organismo et infecunditatem in semine.

Certum est, ut fert omnium sententia, hanc materiam summa potentia dinamogenica potiri, cujus amissio necessario maximam debilitationem centris nerveis infert.

Pauca addere volumus de ægritudine *Hemospernia* nuncupata. Consistit in immixtione seminis et sanguinis, seu in quadam sanguinea ejaculatione.

Inter causas adnumerare possumus infectiones vel excessus genitales. Congestio intensa atque iterata vesicularum producit læsiones capilares et inde hemosperniam. Aliæ dantur causæ ejusdem phænomeni ex ordine physico seu organico depromptæ, quæ omnino involuntariæ atque inculpabiles censendæ sunt.

Therapeutica. Juxta Trousseau, mechanismus spermatorreæ est similis mechanismo incontinentiæ urinariæ. Vel adest nimia contractio organorum excretorum, vel atonia seu inertia: in primo casu præscribitur bromurum de potasio, bromurum de camphora, phosphorus de zinc, belladona et balnei calidi; si est propter atoniam, præscribuntur nux vomica, strychnina, balnei frigidi, balnei aquæ maris, frictiones, electricitatio perinealis (Comby).

Hæc sunt præcipua medicamenta: in aliis adducendis non immoramur.

CAPUT V

DE AUTOMATISMO SEXUALI, SEU DE AUTOEROTISMO

Ut physiologia docet, in phænomeno *erectionis* interveniunt: 1.º, augmentum usque ad plenitudinem corporum cavernosorum, quod supervenit veluti consequentia cesationis vasomotricis arteriarum; unde efficitur quod ad penem affluit et in illo permanet majus volumen sanguinis; 2.º, huic augmento voluminis aggregatur seu adjungitur augmentum consistentiæ, veluti consequentia torporis reflexus venosi, producti ab statu tonicæ tensionis musculorum transversorum perine et bulborum isquio-cavernosorum.

Ejaculatio producitur vi spasmi atonici prædictorum musculorum, quique spasmus existit semel impulsato spermate per motus peristalticos reflexus, de ampulla ductus defferentis vesicularum ad portionem uretræ membranosam.

Doctor Robert Bing (1) dicit, in erectione, diminutionem tonivascularem partim effici propter inhibitionem centrorum vaso-constrictorum et partim ob exaltationem centrorum vaso-dilatatorum. Fibræ vaso-dilatatores, physiologice spectatæ, statutæ sunt veluti nervi erectores. Centra medullaria, de quibus agimus, junguntur cum centro vasomotore medullæ oblongæ, et ultra cum centro vasomotori cerebri trans viam funiculi lateralis.

Centra medullaria, quæ determinant exstasim vascularem et consequentem turgorem penis ob actionem tonicam musculorum transversorum perine, bulbi et isquiocavernosorum, inveniuntur in substantia grisacea tertii et quarti

(1) *Diagnóstico topográfico de las enfermedades del cerebro y de la medula.* — Traducción. Madrid, 1913.

segmenti sacri. Idem accidit in actu ejaculationis. Probabiliter, neurona supranuclearis percurrit funiculos laterales medullæ.

Igitur, in functionibus normalibus apparatus sexualis masculi, necesse est, ut adnumerentur viæ centrifugæ stimuli psychici transmissores, et viæ centripetæ e fibris sensitivis tegumentorum genitalium constitutæ; quæ simul sumptæ conferunt actui sexuali characterem processus reflexus.

Sexualitas, ut compertum est, sua centra habet in organismo. Teste Krafft-Ebing (1), *centrum erectionis* situm est in medio inter cerebrum et apparatum genitalem. Nervi cum cerebro illud conjungentes, probabiliter transeunt per pedunculos cerebrales. Hoc centrum potest in activitatem mitti ab excitationibus centralibus (psychicis et organicis), ab excitatione directa nervorum in pedunculis cerebralibus et in medulla spinali, æque ac a peripherica nervorum sensitivorum excitatione (penis, clitoridis et adjunctorum).

Præfatum centrum minime subjicitur exclusivo influxui voluntatis.

Excitatio hujus centri transmittitur per nervos, qui perducunt ad primum et tertium parem nervorum sacrorum et ita pervenit ad corpus cavernosum.

Centrum erectionis est sub dependentia actionum nervearum excitantium, vel etiam paralyzantium centri cerebralis. Repræsentationes, igitur, et perceptiones imaginum sensualium, veluti excitantes operantur. Innumeræ experimentationes enuclearunt centrum erectionis excitari posse ab excitatione viarum communicationis, quæ sunt in medulla spinali.

Potissima causa, inquit Krafft-Ebing, mechanismi sesualis adinvenitur in periphæria cerebri, qui, abs dubio, moveri potest ab elementis et actionibus psychicis et organicis, periphericis et centralibus.

Bechterew (2), agens de centris et de innervatione hujus-

(1) *Psychopathia sexualis*, pag. 32, Paris, 1895.
(2) *Les fonctions bulbo-médullaires*: Deuxième partie, pag. 263, Paris, 1910.

modi organorum, adducit inprimis aliorum sententias, deinde propriam statuit doctrinam.

Juxta Tarkhanoff, libido sexualis provocatur a distensione vesicularum seminariarum; nam ex experientiis ab ipso factis patet, quod distensio vesicularum per quodcumque liquidum, ex. gr, lactem, sufficit ad libidinem sexualem producendam. Libido incipit in vesiculis distensis et per fibras centripetas ascendit usque ad medullam et bulbum. Evacuatio vesicularum secum fert privationem libidinis, saltem usque ad novam impletionem. Post mutilationem penis datur libido, non vero post ablationem vesicularum.

Præcipua causa libidinis est in organis sexualibus; deinde centra specialia, quæ in cerebro atque in medulla locum habent, sensibiliter evolvunt et tunc actus admittit influxus psyquicos. Juxta Féré, universæ excitationes periphericæ, ideæ, emotiones, quæ in tonalitatem organismi agunt, potestatem habent agendi in sensum genitalem.

Erectio feminea intra easdem conditiones producitur. Tensio corporum cavernosorum clitoridis secum fert fluxum sanguinis erga organa genitalia cum secretione vaginalium glandularum. Vagina, ex se, est contractibilis; excitationes quæ provocare valent erectionem clitoridis et contractiones vaginales sunt vel mechanicæ, vel chemicæ vel physicæ, et adhuc impletio vesicæ urinariæ; unde phænomenon vi cujus, hora matutina, post somnum noctis, nonnullæ intensam erectionem sentiunt, plerumque contingit propter impletionem vesicæ urinariæ, quandoque vero propter affluentiam sanguinis vel caloris.

Quamvis Muller infitiatur centra minctionis, defæcationis et erectionis inveniri in medulla, sed in peripheria, nihilominus Bechterew cum fere omnibus clinicis admittunt centra genito-spinalia. «Experientiæ nostræ, ait ille, enucleant influxum medullæ transmitti præsertim per nervos sacros. Excitationes secundi et tertii nervorum sacrorum sunt supramodum energicæ. Nervus splannicus excitat quoque vaginam.

Budge demonstrat existentiam centri genito-spinalis

in parte sacra medullæ. Idem asserit Dejerine cum Hermann, Furbrinfer et alii. Medulla sacra, ergo, et lumbaris continent centra erectionis et ejaculationis.

Centrum genito-spinale est sub dependentia centri vasodilatatoris bulbaris. Plures excitationes per hanc transferuntur. Excitatur quoque per sanguinem asphyxiatum; quod perfecte explicat erectionis phænomenum in eis quibus caput in patibulo obtruncatur.

Ex experientiis Poussep in laboratorio Bechterew factis, liquet, quod bulbus agit in erectionem, duplici hoc sensu: ut moderator et excitator. Moderatio efficitur per centrum bulbare vasoconstrictor; erectio perducitur ad centrum vaso-dilatator et speciatim ad zonam sitam in angulo superioii calami scriptorii, nucleis pneumogastrici adfinis.

Excitatio ejusdem regionis similiter ac proximioris lineæ mediæ producit ejaculationem. In bulbo quemadmodum et in medulla, duo centra proxima, sed sejuncta existunt respective ad erectionem et ad ejaculationem.

Series experimentorum a Jastreboff effectorum, commonstrant quod in bulbo adinveniuntur pro apparatu femineo quemadmodum pro apparatu viri, centrum excitator contractionum et centrum moderator.

Nihil addimus circa actionem corticis cerebri, quia evidens efficitur in decursu hujus tractatus.

Hoc mechanismo noto, et prælibato, perfacile comprehenditur *autoerotismus*. Nomine autoerotismi intilligit Havel lock Ellis phænomenon emotionis sexualis spontaneæ productum, absente omni stimulo sive directo sive indirecto.

Nos vero in autoerotismo comprehendimus *phænomena libidinosa, quæ intra naturam evolvuntur absque expressa seu voluntaria provocatione.*

Itaque complectitur segregationem spontaneam corpusculorum seminariorum, impletionem vesicularum, erectionem insequentem et mechanicam ejaculationem. Hujusmodi segregatio, multiplici de causa fieri potes; nam influxum in eam habent imagines spontaneæ cerebri, mille impressiones necessario ad sensus et ad cerebrum adventæ, studium. somnia, lectiones, etc., etc.

Hæc principia jacent fundamenta ad quamplurima phænomena explicanda et difcultates morales seriosque conflictus conscientiæ solvendos.

De intimo mechanismo physiologico ultra non agimus, quia confessarius eo minime indiget ad problemata moralis sexualis solvenda.

Nihil agimus hic de responsabilitate morali, quia doctrinam scientificam magis quam conclusiones morales hoc in articulo tradere intendimus.

CAPUT VI

DE POLLUTIONIBUS: PRINCIPIA

Pollutio, ait Noldin, est delectatio venerea completa cum seminis effusione sine concubito. Et brevius: seminis humani effusio, seclusa copula.

Nonnulli auctores quærunt, in quo sistat *ratio formalis theologica*, seu melius: *quænam sit vera malitia pollutionis?*

Aliqui volunt quod sit jactura seminis humani finem a natura intentum præcludens. Ita auctor anonymus cujusdam operis nonnullis abhinc annis publici juris facti, cui titulus *De l'ovulation spontanée et de l'espèce humaine.*

Alii cum Noldin, essentiam hujus peccati in delectatione venerea completa consistere dicunt, ad quam veluti specifica malitia accedit frustranea seminis effusio contra ordinem naturæ. Quare pollutio, juxta illum, peccatum est specifice diversum a delectione venerea completa sine seminis effusione.

Eschbach in ejus opere *Disputationes physiologico-theologicæ.* (Romæ, 1901) hanc tuetur sententiam: «theologica formalis ratio voluntariæ pollutionis malitiæ in venerea satiativa delectatione, præcipue reponenda est, quam naturaliter pollutio causat.» Qui hanc asserit doctrinam, pollutionem definit: «Peccatum luxuriæ consummatæ, quo homo, extra copulam, sibi completam seu satiativam venereamdelectationem procurat, vel ineam consentit.»

In pollutione triplex elementum præsertim distingi oportet: 1.°, factum effusionis; 2.°, delectatio sensibilis quantumvis intensa experiatur; 3.°, denique, voluntas directa vel indirecta in actum. Constitutivum essentiale malitiæ pollutionis, ut evidenter patet, nec in prima neque in secunda

conditione seu elemento sejunctim sumptis consistit, nam ipsa actui humano dumtaxat materiam præbent; tertium autem elementum est forma actus humani responsabilis.

Ratio formalis malitiæ seu peccati igitur, est voluntas libera, quacum quæritur, perficitur vel accipitur venerea delectatio et seminis effusio.

Revera, ut universa tenet theologia, peccatum non existit absque libera voluntate. Ergo patet conclusio generalis, scilicet: quæcumque effusio et quævis delecta io, sive diurna sive nocturna, quum a voluntate non accipiatur, nullum efficit peccatum.

Secretio seu fluxus humoris vaginalis, improprie *pollutio feminea* nuncupata, si cum delectatione venerea completa conjuncta est, iisdem subjicitur regulis ac pollutio. Delectationem veneream feminæ diversis modis, ut infra videbimus, procurare solent. Organa delectationis sunt, præsertim, in clitoride, in vagina atque in utero; feminæ semen non effundunt, sed tantum fluxum glandularum, qui nihil habet commune cum semine. Proprie vocatur *destillatio feminea.*

De pollutionibus sponte secutis, quamvis maximo cum spasmo effectis, sed involuntarie, infra agendum; nihil aliud præmittere volumus, quam illud jam supra in conclusionibus innitum; nempe, attendendum esse gradum voluntatis in productione hujusmodi phænomenorum.

His prælibatis, perfacile eruuntur conclusiones et solutiones difficultatum. Memores sint lectores, nos hic agere tantum de sexto præcepto sub aspectu pathologico; nam, sensu normali, agunt innumeri theologi, inter quos non prætermittendi Noldin et Tanquerey.

Ex dictis in præsenti capite patet, quoque, veluti principium doctrinale, quod castitas est prius virtus seu qualitas spiritualis, quam materialis; corpus est elementum materiale; spiritus est elementum formale. *Fac in corpus, quidquid rationabiliter ipsum postulat*: hygiene, medicina, chirurgia, etc. totum licitum est intra limites rationabilitatis et veri sensus moralis.

Unde inquit sanctus Thomas: Quando actio, ex qua præ-

videtur secutura pollutio, est secundum se bona et licita, et simul est necessaria aut utilis, aut conveniens animæ et corpori, non est illicitum eam ponere propter prævisam pollutionem, nec ipsa pollutio inde sequens est culpabilis, modo absit consensus aut periculum proximum consensus in illam.

Et hoc valet etiam, aiunt sanctus Alphonsus et Billuart cum aliis, licet actio prædicta, secundum se licita, graviter influat in pollutionem, uti est e. gr. tactus et aspectus pudendorum alterius sexus, quales exercet medicus, morbi sanandi causa, vel etiam tactus et aspectus propriorum verendorum medendi vel mundandi causa. Hinc, studere rebus venereis docendi causa, aut discendi, confessiones feminarum excipere, cum eis honeste et utiliter conversari, equitare causa utilitatis vel recreationis, decumbere aliquo situ ad commodius quiescendum; hæc et plura alia similia licita sunt, quantumvis ex eis prævideatur secutura pollutio, et pollutio ipsa a culpa inmunis est, nisi in eam quis consentiat, aut adsit periculum proximum consensus in eam.

Quod dictum manet de pollutione, idem intelligendum est de commotione sensuali et de vehementi pronitate naturæ ad actum venereum, dummodo absit voluntas et conscientia resistat adhibitis cautelis.

CAPUT VII

DE NONNULLIS POLLUTIONIBUS PATHOLOGICIS

In primis, quænam existunt classes polutionis? Juxta Pouillet (op. cit.) dantur:

Pollutio solitaria, seu ea quæ fit absque concursu alterius. Est præ cæteris frequentior: ordinarie est manualis, quamvis non desunt qui actum intersexualem simulare conantur. Plerumque confunditur cum mansturbatione, præsertim cum ad ejaculationem non pervenerit.

Pollutio communis, quæ perficitur cum comite: actus onanismi nihil aliud sunt quam pollutiones communes inter sponsos; dantur frequenter in collegiis puerorum, in domibus ubi resident milites, etc. In juventute pudor seu verecundia non distenta est perfectione qua in adulta ætate; ideo hæc opera inmoralia manufacta paucam inveniunt resistentiam in sensu morali puerorum ac juvenum.

Pollutio non manualis est satis frequens, et locum habet, quum penis comprimitur contra quemcumque objectum et expresse fricatur. Interdum est inter crura, contra mensam, sellam culcitam; interdum vero efficitur, coitum simulando prava cum intentione et maritali affectu cum objectis quampluribus.

Pollutio *completa* vel *incompleta,* quum adsit vel absit effusio seminis.

Antonelli (1) distinguit pollutionem *physiologicam,* quæ locum habet in viro sano, et accidit aliquoties in mense juxta constitutionem, temperamentum et genus vitæ subjecti.

(1) *Medicina Pastoralis in usum confessariorum et curiarum ecclesiasticarum;* vol. I, pag. 399, Romae, 1906.

Ejaculatio *physiologica* accidit iis qui castam vitam degunt; in adultis, in viduis, in nervosis persæpe reperiuntur. Proveniunt, ut ex alibi dictis patet, ex impletione vesicularum, ex irritatione earumdem, ex imaginatione. etc., etc.

Principia moralia relate ad pollutiones physiologicas sunt eadem ac supra exposita; nempe si adest voluntas necne. Quoad pollutiones in somno inceptas, docent auctores ortodoxi, quod nulla datur obligatio impediendi cursum pollutionis in somno spontanee inceptæ, nam tunc veluti exoneratio naturæ habenda est.

Cum pollutio incipit in somno et ejaculatio locum habet in vigilia semiplena, etsi homo quamdam delectationem sensitivam experiatur, nullam habet responsabilitatem, dum voluntas suum consensum ipsi non præbeat.

Physiologi docent: 1.º, semen nunquam corrumpi in corpore; quia si adhuc permanet in vesiculis seminariis, sanum atque inoffensivum servatur usquedum spontanee expellatur; si nunquam effunditur, iterum ab organismo reabsorbetur et novam vitam ac roborem naturæ præstat; si semen extra vesiculas jacet effunditur per uretram, tum ejaculatione involuntaria, tum minctione, quin in vesiculas denuo ingrediatur, nec ex illo ægritudo aliqua enasci possit.

2.º Semen secum fert maximam intensitatem vitæ; et quemadmodum, inquit Antonelli, «in viris sanis ac perfecta valetudine, pollutio multum confert ad sanitatem, nam ipsi ex experientia noscunt valetudinem aliquid detrimenti capere, nisi pollutio sequatur; toto enim corpore quodam anormali valetudinis statu afficiuntur, laborant dolore ac capitis gravamine et difficultate studiis vacandi; subsecuta vero naturali et spontanea pollutione, status primitivus anormalis evanescit, spiritus magna libertate studiis attendendi pollet et hujusmodi viri sensum optimæ valetudinis percipiunt»; quemadmodum, inquam, spontanea effusio seminis aliquando favet organismo, interdum vero ipsi graviter nocet ob debilitationem organismi. Idem tradit Gemelli in præstantissimo opere *Non moechaberis* (pág. 99).

Huic debilitationi maxime conferunt excessus qui ad ejaculationem præcedunt, nam homo in provocatione phænomeni summam dissipat nerveam energiam et vires amittit. Exemplum nobis præstat status eorum, qui diu protrahunt erectionem absque ejaculatione, puerorumque, qui semen adhuc non habent, sed nefando vitio manstur-bationis laborant.

3.° Semen non e renibus sed e vesiculis seminariis decidit. Ex his hactenus perpensis liquet, quod physiologia normalis et physiologia pathologica quædam statuunt pro-blemata resolutu difficilia.

Intimus pollutionis mechanismus est ut sequitur:

1.° Vesiculæ seminariæ naturaliter atque spontanee adimplentur segregatione corpusculorum seminiferorum.

2.° Ut ejaculatio seu pollutio perficiatur necesse est, quod causa physica vel psychica in centra erectiva vel ejacu-latoria operetur; ita ut actionem mechanicam emissionis quomodocumque provocet. Hoc, quidem totum mecha-nice evenire potest, quin ad nihilum interveniat humana voluntas.

3.° Erectio fit, quum sanguis corpora cavernosa penis adimplet.

4.° Ejaculatio repræsentat maximum excitationis ner-veæ, cujus suspensio, semel incepta vel immediate irru-ptura, impossibilis est absque gravibus perturbationibus nervei systematis.

Omnino improbanda, imo damnanda est doctrina eorum, qui ad vitandas pollutiones suadent coitum cum muliere. Litteratura ginetalista seu ginecologica infauste expleta apparet et palam defendit hujusmodi doctrinam. Tales auctores propriam sumunt inspirationem et hauriunt sen-tentias e putidis fontibus materialismi; animam rationalem, sensum moralem et humanam dignitatem practice infi-tiantur; revera sunt qui prostitutioni favent et criminosas pravasque consuetudines distendunt.

Ut melius constet nullam adesse exaggerationem in præfatis assertionibus, ecce paragraphus cujusdam doctoris fere ignoti, qui in quodam recenti opusculo hæc habet:

«Quo fundamento, ait, permittitur moralis illa quæ prohibet actum generationis puellis illis, quæ ob circunstantia quandoque futilia, sortem nubendi non habent? qua de causa damnatur juvenis, qui impulsionibus naturæ respondens, cohabitat, et reflexionis gratia nubere noluit, quia status ejus æconomicus ei illud non permittit?

Hujusmodi doctrina seu moralis est mater prostitutionis, onanismi, perversionum sexualium et quamplurimarum plagarum, quæ modernam societatem pudore suffundunt. Veluti nefastos mores consideramus, prohibere in totum ut cælibes actum sexualem exerceant, quia multoties in mansturbationem cadunt et ad degenerationem perveniunt. Nos ergo inspirationem sensus moralis et humani insequentes, putamus tolerari debere actum coiti ab ætate octodecim vel viginti annorum, quia ejus effectus benigne diffunditur, nunc et semper in organismum». (1)

Miser auctor hujus paragraphi nequit comprehendere, quomodo hujusmodi doctrina offendat sensum elementalem dignitatis humanæ, naturaliter, moraliter et socialiter inspectæ. Hic modus procedendi esset efficacissimus ad matrimonium, familiam societatemque destruendam. Quid est nisi vera prostitutio?

Triste et maxime dolendum est, quod hæc doctrina palam commendetur, scriptis tradatur et nulla lege prohibeatur nec puniatur.

Ut actus sit vere humanus opus est, quod sit effectus voluntatis liberæ et effectus conscientiæ: prædominium absolutum elementi sensitivi secum fert privationem *formæ* in actu humano; idcirco manet tantum elementum *materiale*, quod non aliter accidit, nisi in gravibus perturbationibus naturæ psychologicæ; seu melius; nisi in *statibus graviter pathologicis*, sive sint hi transientes sive permanentes vel durabiles.

Insuper, alias enucleatum fuit, quod malitia actus est in voluntate; dum eidem repugnet seu voluntati adversetur pollutio, quamvis intense delectationem sensitivam,

(1) Serrallac, *Peligros de la generación*.

quæ exclusive intra sphæram sensitivam evolvitur, experiatur, emissio seminalis habenda est ut pure mechanica et delectatio quæ eam comitatur est simplex delectatio organica vel sensitiva.

Theologus memineat regularum hucusque expositarum et potissime, in mente habeat conditiones quæ in capite de *responsabilitate* exponendæ sunt.

Theorice perfacile distinguntur elementa actum humanum constituentia; sed practice, quandoque difficilliter dignoscuntur actus vere et proprie voluntatis et conscientiæ. Plerumque accidit, quod actus appetitus concupiscibilis videantur adhæsiones voluntatis; et imaginatio atque propensio passionum habeantur veluti judicia conscientiæ, et viceversa.

Propositum, quod habitualiter frangitur post quinque minuta estne vere propositum productum ope intellectus, voluntatis ac conscientiæ? an opus vividum imaginationis atque appetitus tantum? Voluntati præcedunt idea, convictio et sensus, aliqua stabilitate præditi; pluribus determinationibus seu propositis præcedunt tantum imago, melancholia et status affectivi sensibiles. Confessarius in praxi, magna cum difficultate, hoc problema, dilucidabit.

CAPUT VIII

DE MANSTURBATIONE PATHOLOGICA

Quamvis lato sensu verbum *mansturbatio* sæpe confundatur cum *onanismo*, stricte sumpta mansturbatio perfecte ac realiter distinguitur ab illo; nam sensus biblicus expresse eum determinat his verbis: «(Onam) semen fundebat in terram, ne liberi..... nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret.» (Gen., XXXVIII, 9 y 10.)

«Mansturbatio, ait Antonelli, quæ consistit in excitatione, præsertim manu, genitalium usque ad expletam erectionem et veneream satisfactionem, ad hoc fit, ut ex commotione horum organorum, maxima exurgat sensibilitas nervea pudendorum et maximum complementum voluptatis venereæ.»

In viris, mansturbatio fere semper conjungitur cum pollutione, in feminis vero, cum destillatione vaginali. Notandum est, tamen, emissionem seminis, in viris locum non habere nisi post adeptam pubertatem. In pueris reperitur vera mansturbatio, et nihilominus ejaculationis incapaces sunt, similiter ac mulieres.

Mansturbatio normalis est gravissimum peccatum: «Neque molles..... regnum Dei possidebunt.» (I Cor., VI, 10).

Generatim mansturbatio virilis expletur per contrectationes penis; mansturbatio feminea, ordinarie fit per contrectationes clytoridis, vulvæ et per objectorum introductionem in vaginam.

In viro mansturbatio easdem divisiones admittit quemadmodum ac pollutio. In femina, autem, sequentes præcipue formæ mansturbationis adnumerantur.

Manstürbatio *vaginalis* consistit in quibusdam operationibus per digitos, pallos (penes artificiales) et per quæcumque objecta peniformia effectis, usque ad provocationem æstri venerei. Hocce genus mansturbationis est satis generale in feminis, præsertim in puellis, in viduis atque in celibatariis, quæ in societate degunt.

Objecta, quæ inservire possunt ad mansturbationem vaginalem tot sunt, quot formam proporcionatam habent. Perfacile supponitur, quod singulæ feminæ intromittent objectus, quos in promptu seu præ manibus habebunt.

Innumeræ formæ concipiuntur, quibus mansturbationem exequntur, in quorum expositione non immoramur.

Mansturbatio præ cæteris frequentior est *clitoridea*, quæ locum habet super hoc organum voluptuositatis.

Notum est quod sensibilitas in singulis personis varietur; nam in viris atque in feminis sæpe reperimus spasmum venereum provenire ex iterato tactu super mammas; in aliis ex lambitu canis super genitalia, præsertim in feminis. Nonnullæ seu melius, plurimæ æstrum venereum experiuntur urinam retinendo ope digitulorum, nam meatus urinarius possidet quoddam corpus erectile cum duobus glandulis in ipso introitu uretræ sitis, quæ revera sunt maxima centra eroticæ delectationis pro aliquibus feminis.

Mansturbatio potest esse *mechanica* vel *pathologica*, et tunc vel nulla est vel tenuis responsabilitas, ut plerumque contingit in aliquibus morbis: in epilepsia, hypochondria, amentia, imbecillitate, hysteria, nymphomania, neurosibus genitalibus et in pluribus causis physicis seu mechanicis, quæ graviter prædisponunt, vel irresistibiliter impellunt ad abusus mansturbationis.

Ast de his causis seu de præfata patogenia agendum erit in capite sequenti.

Antequam huic capiti finem imponamus, sequentes tradere volumus animadversiones.

Viri quum agatur de mansturbatione, semper confitentur se pervenisse ad pollutionem vel non. Idcirco, nihil eis interrogandum de termino vel effectu actionis. Sed quid cum de

feminis agatur? Praxis, auctoritate doctorum firmata, hæc suadet.

Mulieres fere semper his formulis utuntur: «me tetigi»; «delectationem carnalem quæsivi»; «sextum præceptum graviter mecum ipsa transgressa sum»; «a modestia defeci». Quod ad primam, secundam et tertiam formulam spectat, abs dubio, semper presumenda est completa delectatio; et ideo, prorsus abstinendum a quavis interrogatione, nam præterquamquod inutilis evadit interrogatio de materia perfecte cognita, facile quoque dignoscitur malitia actionis ex adjunctis, seu ex contextu accusationis. Nunquam feminæ interrogentur de destillatione, quia hujusmodi glandularum segregatio nihil habet commune cum malitia pollutionis; nec auget nec mutat gravitatem et speciem tactus impudici et delectationis venereæ. Quoad quartam formulam: «a modestia defeci», cum plerumque modestia referatur ad visum, interrogare oportet, an de visu, vel de tactu gravi agatur?

Cæterum, gravitas et species peccati mansturbationis sive in viris sive in feminis discrete cognoscitur modo fidelium seu pænitentium confitendi. Hæc doctrina perfecte consonat cum doctrina Berardi, Ballerini et præsertim Frassinetti

CAPUT IX

DE PATHOGENIA POLLUTIONUM ET MANSTURBATIONUM IRRESPONSABILIUM

Quum hæc quæstio sit summe complexa et erroribus obnoxia, opus est nobis studio speciali, ut theologus valeat certam diagnosim et tutum judicium efformare juxta sensum legis moralis et realitatem facti clinici.

Ut ordinate procedamus et tute hanc quæstionem perscrutemur, in sequentes articulos dispertimur.

Articulus primus

De temperamento erotico

Opus non est theoriam temperamentorum exponere; sufficiat innuere id in quo præsertim sistit, scilicet: complexus determinatorum elementorum organismi prævalens cæteris omnibus usque ad exaggerationem. Cognitio temperamentorum est necessaria, quia magis vel minus attenuant responsabilitatem actus. Notum est apud omnes, uti reor, quod temperamenta, uti ajebant antiqui, non necessario et coacte obligant, sed tantum inclinant; excipies tantum cum agatur de temperamento reapse pathologico.

Letamendi (1) sic temperamentum deinfit: «summa prædominii absoluti vel relativi, quod systema vel subsystema organicum possedit *ab ovo* supra cætera, non obstantibus mutationibus evolutivis ita unius individui, velut unius speciei.» «Libri recentes, scribit Corral et Maestro (2)

(1) *Patología general*, t. II, pag. 834.
(2) *Elementos de Patología general*, pag. 501.

parum loquuntur de temperamentis.» Nos vero, putamus agendum esse de ipsis, quatenus significant summam conditionum physicarum, quæ in quolibet homine reperiuntur cum absoluto vel relativo prædominio in cæteris. Nihil reffert in præsente, utrum sint distribuenda in temperamentum *nervosum, lymphaticum, eroticum* et *sanguineum*, vel in alia his similia. Ad nos attinet dumtaxat de temperamento erotico disceptare, quatenus accusat in natura quoddam prædominium apparatus sexualis.

Si paucos casus excipias, in quibus apparet facies aperte degenerata et luxuriosa, signa specifica ex quibus temperamentum eroticum cognoscatur, minime existunt, quamvis subjecti exhibeant, labium inferius nimis crassum, maciem generalem corporis, subtilia membra, barbam nigram et copiosam et vocem gravam. Unice dignosci possunt *in verbis* et *factis*; qui aliter de se arrogantius sentire vult et aliquem audet habere suspectum de erotismo, seipsum decipit et facillime caritatem lædit. Elementum staticum physiognomiæ est prorsus fallibile; elementum autem dynamicum, quod respondet cogitationibus, sensibus seu affectionibus ac desideriis subjecti est admodum difficile nisi vebis aut factis exprimatur.

Revera constat, teste elementali observatione, signa prædicta et alia a quibusdam auctoribus dicta, sæpissime inveniri in personis valde pudicis in corpore et in spiritu, ut quivis confessarius observare valet in tribunali pœnitentiæ.

Sufficit nobis factum erotismi pathologici consignare, et ejus characteres perspicue distinguere, ut confessarius clare cognoscat et diagnosim instituere valeat circa facta mechanice producta et de phænomenis libere confectis.

«Hoc temperamentum (eroticum) ait Antonelli, notatur in hominibus constitutione sanguinea et sanguineo-biliari. Potest haberi a parentibus per hereditatem vel oriri ex causis corporis internis vel externis et etiam psychicis.»

Nihilominus nos post multos annos ministerii, temperamentum eroticum reperimus in sanguineis æque ac in lymphaticis, melancholicis atque nervosis; nefas est ut

proprium alicujus tantum illud habere. Lallemand in classico opere alibi citato, innumeros casus adducit, præfatam assertionem enucleantes.

Quoad ætiologiam, hereditas, quidem, est potissima causa, teste experientia, quæ germen erotismi in natura individuali infauste jacit, ut deinde, quodvis elementum patogenum, sive internum sive externum, crisim determinet et naturam summe perturbatam in perpetuum desinat.

Prouti factum inconcussum habendum est, nonnullos subjectos maximam pronitatem sentire erga delectationes sexuales, quemadmodum alios idem experiri erga aliud genus impressionum. Pueros cognovimus qui a quarto ætatis anno vitium mansturbationis acquisierant; concursum seu cooperationem ancillarum aliorumque quærentes. Unus ex his, sub pretextu ludi in lectum materteræ ingrediebatur, et inde non exiebat usquedum hæc exercitia mansturbationis in ipsum exequutus erat. Puer crevit summe eroticus et mansturbator.

Lallemand agit de pluribus subjectis aperte eroticis, inter quos adest unus, qui a decimo ætatis anno, delectationes sexuales quærebat ope mansturbationis, saltem quinquies in die; anno duodecimo, videns nihil sibi profuisse hocce vitium, sed e contra, salutem offendisse firmissimum propositum instituit sese abstinere ab omni actu mansturbationis. Post multas ac validas colluctationes, duo annos transierunt, quin voluntarie in pravis actionibus cecidisset; anno, verum, decimo quarto, ipsi advenit delirium eroticum ita violentum, ut omnino amisserit propositum et denuo inciderit in præteritum vitium, usquedum natura læsa propter irritationem ac debilitationem succubuit et diruta funditus mansit.

Hic status potuit provocari ab excessiva irritabilitate systematis nervei centralis ac peripherici, veluti etiam ab ardenti imaginatione vel constitutione sanguinea, nervosa, vel billioso-nervosa vel nervoso-sanguinea, etc. Hujusmodi constitutio, quæ ostenditur seu revelatur per apertum prædominium apparatus generatoris, proprie vocatur *temperamentum eroticum.*

Sunt insuper subjecti in quibus animadvertitur, quidem, prædominium genesicum; hoc autem minime respondet exaggeratæ evolutioni systematis sanguinei vel nervosi, sed particulari dispositioni encephali vel modo seu characteri psychico subjecti. In clinica nomen accepit *idiosincratiæ genitalis*, de qua infra agemus.

Quæcumque sit causa statum eroticum producens, in subjectis affectis provocat quamdam majorem activitatem organorum sexualium et exaltationem sensibilitatis ipsorum. Semel acquisita pubertate, textus erectilis faciliter impletur et erectio frequenter ac celeriter producitur. Erectio iterum agit in cerebrum, ubi provocantur imagines, inclinationes ac desideria, quæ munitæ ab idiosincratia genitali, nempe, a prædispositione psychica subjecti, adauget vim eroticam et accrescit numerum excitationum. Pollutiones quæ fere semper inde sequuntur, majorem præbent irritabilitatem nerveo systemati atque impressionabilitatem apparatui generatori.

Lallemand docet, quomodo in puero præcocitas sexualis properet explosionem instintus genitalis, curiositatem stimulet et ad quærendum finem quorumdam organorum atque instinctuum compellat. Pueri, scribit ipse, a prima infantia quærunt manus gerulæ ut illos tangant; pretextu ludorum super sorores vel fratres suos respective jacent; infra scalam ubi ascendit mulier quævis ipsi stant, ut dissimulate crura aspicere valeant; ad lectum ubi soror vel ancilla dormiunt clam accedunt ad partes minus honestas vel genitalia inspicienda, et vestes interiores lascive perscrutantur ut cunctanter in earum visu delectentur.

Illi fere inconscienter id efficiunt, nam ad hos actus ducuntur a secreto instinctu et latente impulsione, vi quorum detegitur temperamentum eroticum pueri, et prænuntiantur inæquilibrium naturæ, perturbationes morales, mansturbationes et ejusdem naturæ destructio.

Vir senex quidam quamplurimas pollutiones et fere omnes mansturbationes effectas fuisse a se aiebat, intuitu mammarum et genitalium, quæ prima ætate vidit in corpore sororis suæ.

Puer aliquis inter alios, ætate quinque annis, fingens metum cum propriis parentibus dormire cupiebat. Parentes nihil suspicati sunt de prava filii intentione, et quum credebant filium dormire debitum conjugalem sibi mutuo reddebant. Filius vero hæc omnia observabat et manstur-bationi se dabat.

Anno septimo ætatis suæ sejunctus fuit a parentibus et prope cubiculum sororis suæ, ætate quindecim annis, positum fuit. Cum ille putabat sororem somnum profunde cepisse, ad lectum accedebat et illam impudice tangebat; usquedum, quadam nocte, puella experrecta fuit dum frater hoc pravum opus perficiebat. Soror admodum ad erotismum prona, delectabiliter accepit illam furtivam visitationem, et ab illa nocte, cunctis diebus, se mutuo corpora tradebant usque ad provocationem æstri venerei.

Ambo post diuturnum tempus ægritudinem non levem acquisierunt; et nota causa a parentibus, remedium, quamvis sero, contulerunt.

Alii dantur juvenes, qui imagines sculptas aut depictas lascive inquirunt in libris, ephemeridibus, fabulis, etc., ut dum illas præ oculis habeant, mille stultitias exerceant, mansturbationem perficiant et sexualitem omnino ac morose expleant.

Hujusmodi casus rationem reddunt de typo erotico de constitutione inæquilibrata, de temperamento genitali, degenerato, absque sensu morali nec voluntate sana, quamvis responsabili.

Mechanismus nerveæ excitabilitatis in pueris sic formulari potest: encephalum pueri, liberum adhuc ab omni impressione sexuali, accipit et defigit maxima vivacitate imagines, quæ prædispositionibus vel inclinationibus subjecti respondent. E massa encephalica impressiones ad apparatum genitalem celeriter ducuntur. «In prima ætate, scribit Pouillet, sensibilitas est exaggerata et summe irritabilis. In hac vitæ periodo, igitur, sensationes sunt rapidiores, fortiores ac magis durabiles, quam in adulta ætate.»

Præfata doctrina docet maximam curam a parentibus adhibendam in filiorum educatione, nam perpluries, impres-

siones primo acceptæ vel a realitate factorum susceptæ, sunt quæ viam pandunt ad æquilibrium vitæ, vel ad destructionem naturæ.

Accidens eroticum non in omnibus eodem modo locum habet; dum, enim, in aliquibus diuturne perdurat, in alis charactere acuto, sed brevi gaudet. Puella, quidem, ætate viginti et septem annis, summe nervosa, bis in mense, delirium seu maximam excitationem veneream ita experiebatur, ut irresistibiliter ad maximos excessus sexuales individuales corpus suum traderet. Dum crisis erotica perdurabat, cunctas vestes exuebat; ante quoddam magnum speculum se sistebat; in terram quandoque se projiciebat coitum cum indeterminatis personis fingebat et universas formas sese excitandi ad memoriam, seu melius, ad praxim evocabat, usque ad completam libidinis expletionem.

Puella profunde dolebat crisim eroticam, nam «resistere nequeo, ajebat, quamvis infernum apertum aspiciam, in Deum cogitem, ad cœlum mente ascendam et corpori meo instrumenta pœnitentiæ infigam». Interdum conscientia vel sensus moralis, nihil omnino ipsi adversabant.

Moreau de Tours (1) merito distinguit temperamentum *naturale* et temperamentum *acquisitum*. Confessarius perfacile in cognitionem hujus quæstionis deveniet; utrum, scilicet, erotismus sit a prima ætate ob hereditatem acquisitus, vel in decursu temporis ob pravos comites, lectiones, etc. Habitus innatus plus aufert responsabilitatem, ex se, quam habitus voluntarie acquisitus, quamvis retractatus. Animadvertat, quoque, an præditus sit systemate sanguineo, nerveo vel sanguineo-bilioso, quæ ordinario intensiorem pronitatem ad erotismum præ se ferunt, etsi ullo modo altera systemata excludenda sint.

(1) *Des aberrations du sens génésique*, pag. 68, Paris, 1880.

Articulus 2.us

De idiosincratiis pathologicis

Sequens quæstio parum differt a præcedenti. *Idiosincratia*, juxta Littré, est, quædam dispositio, vi cujus, quivis subjectum respondet, speciali modo, influxui quorumdam agentium, quæ in organis nostris imprimere aliquid possunt.

Intra eamdem multitudinem, personæ subjectæ iisdem agentibus patogenis, sive physicis sive moralibus, frigori, fami, somno, colluctationi, etc., nonnulli ægritudinem acquirunt; aliæ viriliter resistunt: «Nunc autem, ait Cl. Bernard, agens, quod mirum in modum operatur et in singulis casibus particularibus modificat influxum agentium seu elementorum exteriorum, nuncupatur *idiosincratia*.» (1)

In physiologia atque in medicina experimentali, ut certa omnino habetur, existentia *prædispositionum normalium* et *prædispositionum pathologicarum*.

Antiqui differentias in prædispositionibus, characteribus sanguinis attribuebant; hodie vero, nemo nescit hujusmodi differentias a constitutione, organizatione plus vel minus irritabili ac sensibili nervei systematis pendere. Homo in civitate creatus nervos susceptibiliores ac sensibiliores habet, quam rusticanus. Equus domesticus. gaudet constitutione plus delicata, quam silvester.

Revera, juxta theoriam Cl. Bernard, supra acceptatam, tota physiologiæ, phathologiæ ac prædispositionis quæstio, reducitur ad debilitationem proprietatum physiologicarum nervei systematis (ibid., pag. 27). Differentia, igitur, aptitudinum, susceptibilitatis, et irritabilitatis nervei systematis, sunt quæ proprie idiosincratiam constituunt.

In eadem officina laborant plures juvenes: ad eam accedunt duæ puellæ; unus ex juvenibus talem sentit excitationem ob simplicem visum, ut ibidem fortem expe-

(1) *Leçons de Pathologie expérimentale*, Paris.

riatur sensibilem commotionem. Alii permanent prorsus indifferentes. Primus laborabat aliqua prædispositione et majori excitabilitate; id est, aliqua existebat in eo pronitas erga erotismum, quæ allis deerat; hocce phænomenon vocatur *idiosincratia.*

Ex his licet asserere instinctum sexualem submitti conditionibus generalibus organismi et conditionibus specialibus impressionabilitatis singulorum subjectorum. Scribit Féré (1), omnes excitationes peripherícas, omnes repræsentationes et universas emotiones, quæ super totum organismi operari queunt, posse etiam operari super sexualitatem. Singulæ offerunt, sub hoc aspectu, quamdam et determinatam susceptibilitatem individualem.

Non omnes, ut compertum est, eodem modo respondent eidem excitationi vel provocationi; sed singuli prout dispositi sunt in eorum systemate nerveo atque erotico

Basis physica, igitur, idiosincratiarum est in prædispositione nervea sexuali seu in sensibilitate individuali.

Gravis exaggeratio harum prædispositionum, impressionabilitatis, et excitabilitatis sexualis, constituit *idiosincratiam pathologicam.* Confessarius antequam instituat moralem diagnosim, distinguat, utrum agatur de idiosincratia normali, an de pathologica. (Vide Caput XV.)

Articulus 3.us

De hereditate erotica

Existit hereditas pathologica, quemadmodum existunt hereditas biologia et hereditas psychologica.

Requidem vera: major vel minor excitabilitas erotica pendet e nerveo systemate: nunc autem, nerveum systema est opus parentum: instinctus, ergo, et eroticæ inclinationes, naturaliter continentur in elementis biogenis, nempe, in cellulis ovulari et spermatica, quæ necessario secum

(1) *L'instinct sexuel évolution et dissolution,* Paris, 1911.

ferunt proprietates ac qualitates substantiarum ex quibus decidunt.

Doctores communiter tenent, hereditatem esse factum inconcussum (1). Ordo producti ad producentem, est generatim relatio effectus ad causam. Qui noscit conditiones materiæ ut rite inserviat ad operationes spiritus, facillime acquiescet assertionibus circa hereditatem (2).

Moralistæ sive confessarii, qui ob specialem missionem intima conscientiarum cognoscimus, possumus competenter sustinere, aptitudines nonnullas physicas et qualitates morales, sive bonas sive malas transmitti a parentibus ad filios, ab avis ad nepotes.

Hereditas ergo, est quædam lex biologica, vi cujus universæ substantiæ vita præditæ ad propriam reproductionem in posteris tendunt. Intimus mechanismus, qui hanc transmissionem asseverat, est adhuc hypoteticus.

Anatomice spectata hereditas pathologica, sibi vult defectum in organizatione, insufficientiam functionalem cellularum, defectum vel alterationem biochemicam substantiæ cerebralis, gravem debilitationem textuum nerveorum, et alia hujusmodi.

In hereditate directa seu individuali pater transmittit ad filium elementa constitutiva ectodermi; mater autem, elementa constitutiva mesodermi et endodermi.

Scimus hanc theoriam seu affirmationem valorem tantum hypotesis habere; illa enim enucleare conatur influxum patris exclussivum in organismum cerebralem pueri, quippe quod cerebrum oritur ex ectodermo. Præfata theoria, quæ asserit nerveas ægritudines potissime transmitti a patre, admittit insuper, matrem normalem seu salute præditam posse notabiliter imminuere actionem pathologicam ex perturbata constitutione patris proceden-

(1) Vide Ribot: *L'hérédité psychologique*, Paris, 1902.
Raffray, *Les déséquilibrés du système nerveux*, Paris, 1903.
Magnan, *Leçons cliniques sur les maladies mentales*, Paris, 1893.
P. Lucas, *Traité philosophique de l'hérédité naturelle*, Paris, 1850.
Dejerine: *L'hérédité dans les maladies du système nerveux*, Paris, 1886.
(2) Qui uberiores notitias desideret circa hereditatem, consulat opus nostrum *El cerebro, los nervios y el alma en sus mutuas relaciones*.

tem; sive conjunctim sive separatim, parentes apud filium characteres physiologicos, aptitudines normales et defectus pathologicos deponant.

Prædicta theoria insufficienter constituta apparet ut acquiescentiam nostram eidem præbeamus. Illa tribuit patri totam hereditatem psychopaticam, et nihilominus aperte comperitur essentialis influxus cellulæ ovularis necnon ulterioris evolutionis in sinu matris erga filii efformationem. Hæc novum subjectum e propria substantia nutrit atque alit, sive sit biogena sive pathogena, juxta ejus constitutionem et salutem. Probabilissime natura sana et salutifera matris corrigere notabiliter valet malitiam vel characterem virolentum cellulæ spermaticæ.

Apparitio phænomenorum eroticorum, generatim, locum habet a pubertate ad maturam ætatem; ægritudines hereditariæ, quidem, indigent præparatione organica ut determinentur; id est, quemadmodum germen pathogenum seu microorganismus jacens in quovis fructo, non determinat ejusdem corruptionem quin prius maturet vel materiam dispositam habeat; ita quoque, germen pathogenum in substantiam filii vel nepotis ordinario non operatur nec determinatur quin prius corpus ad quandam evolutionem pervenerit ut materiam disponat ad ægritudinem patefaciendam.

Præterea, sexualitas radicatur seu nititur in constitutione organica nervea, quæ generatim usque ad pubertatem non evolvitur.

Erat mater quædam vidua cum tribus filiis: vir unus, et feminæ duæ; ætate undecim, tredecim et septem annis respective. Mater a puberbate quater vel quinquies in mense se mansturbationi dabat; similiter et filii toties in mense sese mansturbabant.

Mulier nupta, præter actus conjugales crebro habitos (bis in hebdomada), pluries in mense vitio mansturbationis se tradebat. Pater ejus mortuus fuit consumptus propter excessus sexuales.

Hereditas pathologica notabiliter minuit sed rarissime tollit absolute responsabilitatem actionum. Animadvertat tamen

confessarius, *defectus hereditarios quandoque funditus, quandoque partialiter reformari seu modificari posse.* (V. cap. XIV.)

Articulus 4.us

De furore erotico

Furor eroticus est communis hominibus et pluribus animalibus. In quibusdam speciebus animalium relationes sexuales minime exercentur absque violenta colluctatione; est masculus qui adgreditur. Appetitus cujus expletioni viriliter quis opponitur, gignit vel provocat vehementem emotionem et interdum eroticum furorem.

B. Ball (1), post caput plorabunde scriptum, in quo misere confunditur amor castus cum amore erotico, ideam innuit quam suscipimus, quatenus nobis exhibet formas elementales dementiæ eroticæ vel furoris genitalis.

In primis animadvertendum est, formas furoris erotici tot esse quot sunt modi libidinem voluntarie explendi. Nos vero in hocce articulo, dumtaxat de forma *hallucinatoria*, de forma *aphrodisiaca* et de forma *obscena* agere volumus; cæteræ enim alibi et sub diverso titulo fusius pertractantur.

In feminis furor eroticus interdum appellatur *furor uterinus*, qui apparet præsertim intra crises hysterismi.

Excitatio sexualis sub forma *hallucinatoria* est frequens a periodo pubertatis usque ad senectutem. Longe a nobis est furorem eroticum ad dementiam proprie dictam associare, nam hocce in studio minime agimus de penitus amentibus, sed tantum de semiamentibus, de inæquilibratis et graviter mente, sensibus et corpore perturbatis.

En aliqua exempla valde practica.

Erat juvenis quidam, qui profundum inæquilibrium sexuale patiebatur, quamxis vere et absolute peccatum abhorrebat. Decimo tertio ætatis anno erat, cum parentes ejus ad quoddam theatrum prorsus obscenum illum comi-

(1) *La folie érotique*, Paris, 1893. Opus damnandum et a putido sectarismo inspiratum.

tati sunt. Cerebrum juvenis omni adhuc imagine lasciva privatum, maximam experitur excitationem, imaginem suscipit et totum ejus spiritum ac sensum in idem phænomenum occupat. Posthac nihil aliud vidit in mente nec desideravit in corde, quam imagines lascivas.

Centra nervea profunde debilitantur et paulatim apparent hallucinationes sexuales. Domi, in cubiculo, in oratorio, in plateis, etc. clare intuetur feminas nudas ad actiones sexuales eum provocantes; cum eis loquitur et deambulat et cum eis quiescit in nocte. Licet in voluntate peccata sexualia execretur, tamen liberari nequit ab impressionibus acceptis, ab hallucinationibus eum persequentibus et ab actionibus cum phantasmis commissis.

Evidenter perspicitur hic agere de graviter infirmo atque de irresponsabili.

Femina pudica juramento firmabat se coitum cum viro effecisse per viam publicam transiens. Altera præ oculis habens imaginem Jesuchristi asserebat quoque cum juramento se illo die copulam habuisse cum fratre suo, qui in regione longinqua erat.

Hallucinatio mechanice producitur propter intensas impressiones cerebrales et excitationes cellularum, Est valde frequens, præsertim in personis degeneratis.

Hallucinatio potest esse tactilis, visiva, auditiva etc.

Forma *aphrodisiaca* excitationis sexualis consistit in eo quod nonnulli subjecti in statu normali summe exaggeratos habent appetitus sexuales. Sunt effrenati et qui post occasiones constanter petunt ad libidinem quomodocumque explendam.

Psychologia horum subjectorum sequentibus elementis constat: imago lubrica totam complens mentis attentionem; tum per viam ambulans, tum in museis, in ecclesia, in theatro, tum in librorum lectione, in societate, etc., semper et in omnibus cupide quærit satisfactionem seu libidinem sexualem; quidquid videt, audit, tangit ac sentit *vult* ei inserviat veluti agens provocator. Aspiratio præ cæteris fixa est delectatio sexualis, æstrum venereum. Innumera perficiet sacrificia, ad ridicula facta sese exponet, quodvis

periculum adibit atque extrema omnia propter solam delectationem sexualem experietur.

Vir nuptus confitebatur se ita vitam sexualum quæsivisse, et propriam sponsam vexavisse in decursu vitæ, ut septies saltem quotidie ejus corpore indigeret ad conjugium matrimoniale. Quum sponsa ipsi resistentiam opponebat, cum ancilla vel amasia rem culpabiliter habebat.

Hæc forma reperitur præsertim in imbecillibus, in initio paralysis generalis, in amentia puerperali et in nonnullis luciditatem habentibus sed hyperexaltationem genesicam sentientibus.

Forma *obscena* consistit in verbis, factis actionibusque lascivis, plerumque automatice absque excitatione sexuali. Hujusmodi subjecti quamdam habent dissensionem, ut videtur, inter centra cerebralia et centrum genitospinale. Confessarius ne facile judicet de forma obscena ut pathologica, cum plerumque sit vere normalis.

Formæ potissimæ *furoris erotici* sunt **satyriasis** et **nymphomania** quæ duplicem statum excitationis psychicæ constituunt in quibus instinctus genitalis ad gradum morbidum levatur.

Character essentialis hujusmodi excitationis sexualis est status hyperesthesiæ psychicæ cum participatione spheræ sexualis, ait Krafft-Ebing. Imaginatio nihil aliud repræsentat quam sexuales scenas cum hallucinationibus atque illusionibus; agitur demum de vero delirio hallucinatorio.

Repræsentationes indifferentes provocant sensuales illusiones atque ad maximum gradum excitabilitatis psychicæ evehunt. Objectus conscientiæ morbidæ absolutum imperium acquirit supra cunctos sensus et omnes individui inclinationes: uno verbo: hæc hyperesthesia psychica totam individui psychologiam dirigit.

Satyriasis datur in viro, licet rare; nymphomania in feminis. Vir satyriasi affectus nihil aliud quærit quam fæminam, sive sit pulcra sive deformis, sive puella sive vetula; nihil reffert; vult feminam, et ut eam consequatur, si opus est, quæcumque crimina committet.

Satyriasis prænunciatur per erectiones frequentes, spon-

taneas vel ob visionem mulierum provocatas. Veluti symptoma ejusdem ægritudinis habendum est phænomenon exaggeratæ sensibilitatis apparatus sexualis, vi cujus, simplex contactus determinat persistentem erectionem (priapismum) et consequentem effusionem seminalem.

Status paroxysmi est ultimus gradus infirmitatis; quandoque post postremam libidinis expletionem, ægroti, tristitia ac desperatione affecti sibimetipsis mortem inferunt. Interdum organa genitalia imflammantur propter excessus sexuales et in mortem faciliter concidunt.

Nymphomania est neurosis exclusive ad sexum femineum pertinens; constituitur ab exaltatione morbida organorum generationis, a desideriis venereis summe exaltatis et ad paroxysmum evectis. De nymphomania dicendum est idem ac de satyriasi assertum fuit. Imaginatio, sensibilitas, cogitatio, desideria evolvuntur exclusive in sphera sexuali. Apparatus generationis patitur maximam hyperactivitatem seu excitationem, præcipue in organis voluptuositatis. In utroque casu, ut facile comperitur, agitur de statu vere et graviter pathologico.

Symptomata furoris uterini. In tractatibus medicinæ, ut supra innuimus, furor eroticus cognoscitur sub nomine *furoris uterini*, cui sequentia adscribuntur symptomata.

Triplex status seu gradus hujusmodi furoris assignatur a Joanne Astruc.

1.º Furor uterinus absque delirio.

2.º Furor uterinus cum delirio melancholico.

3.º Furor uterinus cum delirio maniaco.

In primo gradu feminæ ægræ sentiunt se flagrare libidine, sed sibi probe conscíæ turpe et probrosum esse desideriis istiusmodi obsequi, hærent anxiæ, solitariæ, segreges, mœstæ. Si nihilominus obscenis cogitationibus perpetuo defixæ obtusius afficiuntur, ab aliis quibuscumque sensationibus a fame etiam et siti privantur. Imo, tam vivida est illa de rebus venereis meditatio, qua perpetuo detinentur, ut cellulæ ac fibræ cerebri, quibus illarum rerum ideæ refricantur, fortiter tensæ sine intermissione

oscillent, ex quo fit, ut illæ præter naturam vigilaces sint. Si incederit sermo procacior, si quid blanditiarum audiant, animi impotentes male tecta desideria cito manifestant. Hoc in grado, solet morbus inducias interdum habere, quas adhibitis remediis, ægroti videntur resipiscere, quamquam raro perfecte; sed dilucidis illis intervallis nimium non fidendum, quippe quod iis morbus recidivus brevi succedat, priore pejor et intensior.

In secundo gradu, ægrotæ incipiunt tono ita perverti, ut quum ægre certo conscirent antea licitum non esse libidini se dedere, nunc ex errore novo, qui est principium delirii melancholici, hæreant ancipites, interdum insanam cupiditatem reprimendo; interdum vero, seposita verecundia, libidini conentur obsequi, obvios quoscumque procaciter alliciendo. Omnia in dies magis ingravescunt et cerebri tonum ita pervertitur ut ægræ tunc firmam sibi persuassionem inducant facile posse se libidini dedere, et proinde turpissimo mentis errori acquiescere.

In tertio gradu morbus in maniam recidit et ægræ mente alienatæ maxime circa ea, quæ ad rem veneream pertinent, obscena, impudica verba proferunt continuo, obvios quosvis natos, ignotosve, ad opus sollicitant, cunctantes urgent et compellunt. Si pertinacius reluctentur, aliquando in eos pugnis impetunt furibundæ.

Furor uterinus somatice inspectus secum fert maximam apparatus genitalis irritationem; in ordine psychico autem, violentissimum angorem ex valido desiderio venereæ voluptatis ortum.

Articulus 5.us

De alterationibus in organis spermaticis

Quum hanc quæstionem pertractandam adgrediamur, attentionem defigere volumus tantum in testiculis et accidentaliter in prostatis.

Testiculi. Ægritudines testiculorum sunt innumeræ (1) ac frequentes. Prætermissis ectopia, contussionibus, luxationibus, epidermiti, orchiti imflammatoria atque infectiosa, et aliis, videamus: 1.º syphilidem testiculi; 2.º, tuberculosim testiculi; 3.º, imflammationem vesicularum seminariarum.

Testiculus est quoddam centrum attractionis infectionis syphiliticæ. Læsiones syphiliticæ offendunt primitive textum conjunctivum organi, et vasa quæ ejus subtemen constituunt.

Typus hypertrophicus, ut docent doctores, constituitur ab infiltratione difusa, ædematosa, infiltratione textus conjunctivi, cum cumulatione plus minusve intensa cellularum lymphoideum. Typus atrophicus proportionem servat cum retractione ejusdem textus conjunctivi. Gelatinosa infiltratio substituitur ab organizatione fibrosa; et inde fit quædam cicatrix ramificata in quorum annulis retibus inveniuntur diversa elementa glandularia. Primus processus infiltrationis hypertrophicæ ordinarie efformat gummata, etsi nullum periculum immediatum tubis seminiferis ferat. In sclerosi atrophica, secus, læsiones sunt graves et persæpe irreparabiles, quatenus producuntur in regione genitali.

Tuberculosis vesicularum seminariarum distinguitur per magnam pronitatem ad retractionem conjunctivam, ut scribunt Bandelier et Roepke (2). Tuberculosis glandularum genitalium sita est præcipue in epididimo, forma nodorum. Hæc infectio clinice exterius prodit ob tumefactionem epididimi et testiculi, quæ generatim dolores satis intensos apud regionem inginalem determinant.

Inter universas causas, quæ pollutionem pathologicam provocant, prævalet *inflammatio organorum ad secretionem et excretionem seminis* destinatorum. Hujusmodi inflammatio derivari quit ex inflammatione apparatus urinarii. Teste Legueu, ambo apparatus, urinarius, nempe, et genitalis, intimam servant relationem et correspondentiam causalem.

(1) *Larousse médical illustré;* verbum: *Masculins (organes génitaux)*, Paris.
(2) *Clínica de la tuberculosis;* versio hispana magni operis germani. Madrid, 1913.

Quemadmodum vesica urinaria, propter *irritationem* difficiliter continet substantiam liquidam; renes abundantius segregant et urina chemice alteratur; ita quoque accidit, servata proportione, in organis spermaticis, cum ipsa alicui irritationi subjiciantur.

Testiculi abundantiorem quantitatem seminis segregant sed magis aquosum et minus elaboratum, quia paucum tempus in vesiculis permansit; citius effunditur, quoniam vesiculæ sensibiliores evadunt; contractiones, denique, spasmodicæ rapidam ejaculationem provocant tum in actibus venereis, tum in somniis lascivis. Unde clinica docet, infectiones spasmodicas essentiales intimam servare relationem cum pollutionibus diurnis et nocturnis.

Posthac augentur sensibilitatis debilitas atque exaltatio; accrescunt quoque irritationes ac contractiones vesicularum; copiosior fit segregatio seminis; et in hocce statu constituto, sola feminæ aproximatio, voluptuosa imago, cogitatio erotica, licet involuntaria, sufficiunt ad ejaculationem producendam. Generatim semen horum ægrotorum caret nemaspermatibus.

Cæterum patet, quod mansturbatores vel qui ad excessus venereos se tradunt frequenter mingunt. Non immerito veteres dixerunt: *raro mingitur castus*; quod iterum probat organa urinaria offendi propter excitationem spermaticorum organorum.

Sunt qui plenitudinem spermaticam patiuntur, quique ope imaginis mentalis, et visus feminæ, faciliter implent ductus efferentes ita ut effusio producatur.

Affectiones organicæ in qualibet parte apparatus genitalis sitæ, admodum conferunt ad excitationes promovendas, pruriti vel irritationis causa.

Insuper, repletio vesicæ urinariæ secum fert veneream erectionem et desideria genesica expergefacit. Perplures dantur casus mansturbationis masculinæ et femineæ huic phænomeno respondentes.

Docet Lallemand, inflammationem vesicularum distendi usque ad cætera organa affinia. Tria volumina dicat, præstantissimus auctor, in quibus fusius perscrutatur innu-

mera facta clinica, quæ ad pollutionem pathologicam perducere valent. Ex quo fonte hausit Pouillet opus supra citatum.

Juxta dictum Lallemand, effusiones spermaticas seu pollutiones involuntarias, producere possunt. imflammatio organorum spermaticorum, blenorragia, affectiones cutaneæ, affectiones recti intestini, abusus genitales vel excesus venerei, quædam medicamenta, systema cerebro-spinale, et dispositiones congenitales, quæ plurimæ adnumerantur.

Similiter in femina, plures adsunt causæ particulares, morbosæ ac mechanicæ que ad mansturbationem, ad vaginalem destilationem et ad sensitivam delectationem inclinant, quæ plerumque minuunt responsabilitatem et quandoque eam omnino auferunt, juxta casuum gravitatem a confessario judicandam et a nobis in capite XV definitam.

CAPUT X

DE PERVERSIONIBUS SEXUALIBUS

Ex prælibatis liquet, insuper, existere impulsiones ad actos sexuales. Impulsio est quædam tendentia exaggerata ad actum. Impulsiones sexuales sunt frequentes in subjectis degeneratis.

Cæterum, de perversionibus sexualibus plusquam de impulsionibus agendum est in præsenti capite.

Perversiones sexuales reperiuntur quoque in brutis ut probat Féré (opus citat., pag. 59-85).

Nihil in præsente addimus de patogenia perversionum; sed ut certum habendum est, hereditatem locum obtinere principalem. Generatim erotici qui ad gradum exaggeratum evehunt, stigmata propria ostendunt sive in corpore sive in anima. Intellectus, etsi alias acutus, est insufficiens ad moralitatem et sensum legis attingendum; voluntas est infirma et caret solida adhæsione; conscientia obnubilatur et plerumque anesthesia morali afficitur; spiritus, demum, omni aspiratione et sensu nobili atque elevato privatur ob pravam educationem.

Formas præcipuæ perversionum, sequentibus notabimus articulis.

Articulus 1.[us]

De fetichismo pathologico

Fetichismus est perversio sexualis qua confertur objecto directe vel indirecte alicui personæ pertinenti, vis exclusiva sexualis provocationis. Alii ita definiunt: productio volu-

ptuosarum sensationum, tactu vel simplici repræsentatione mentali quarumdam partium corporis vel vestis mulieris, productarum (1).

Fetichismus, sive referatur ad objecta sive ad partes honestas personæ, quum determinatum gradum exaggerationis adispicatur, secum fert veram depravationem sensus genesici. Hæc abærratio sexualis tot exhibet formas ac modos, quot sunt pravi gustus hominum.

Fetichismus amoris non semper charactere morbido laborat; plerumque est tantum ridiculus. *Fetichismus* vero *passionis* ad omnes consequentas imaginabiles et ad omnia anathemata, quæ adversus dignitatis humanæ violatores feruntur, pervenit. Non opus est quod sint objecti præstantiores vel apparatui genitali proximiores, qui hanc transformationem producunt; simplex sudarium, innocens cincinnus, chirothecæ seu manuum indumentum, calcei, manus, pedes, imago phothographica et alia sufficiunt ad excitationem et æstrum venereum provocandum.

Fetichismus objectorum est indefinitus, quia quivis objectus qui existentiam habet vel habere potest, in fetiche constitui valet, dum ad determinatam personam pertineat.

Nos hic e fetichismo pathologico consulto excludimus, quidquid, etsi ridiculum, tamen est normale. In matrimonio quamplurimi dantur actus veri fetichismi, qui nequaquam inter actus pathologicos adnumerari debent; ita: vir nequit actum conjugalem perficere, neque ejaculationem producere, nisi sponsa calceamenta gumenis ferat, vel capillos calamistro crispatos habeat, vel quin vir aut femina in objectum ejusdem personæ intense cogitent, etc. Hæc omnia persæpe sunt necessaria ad libidinem in conjugio explendam, sed nulla censura damnanda sunt.

Criterium elementi pathologici fetichismi corporalis, quærendum est in ordine subjectivo seu psychico; fetichismus

1) Verbum *Fetiche* introductum fuit a de Brose in opere *De cultu deorum etiches*; Paris, 1760. Primitive expressit cultum objectis, animalibus, ridiculisque imaginibus a populis barbaris atque incultis tributum. Hodie autem extenditur ejus applicatio ad phænomena perversionis, de quibus in præsente agimus.

rerum et vestium est pathologicus generatim, quando totam spiritus attentionem in ea infingunt et spontanee ad erectionem et ejaculationem individualem perducunt. Fetichismus pathologicus in impressione seu repræsentatione objecti totam vim ponit, ex qua excitatio sexualis enascitur.

Post innumeras observationes et experientias licet asserere, fetichismum pathologicum haud produci nisi in naturis psychopathice et hereditarie prædispositis.

Animadvertere obiter volumus, hujusmodi fetichismi frequenter esse causam impotentiam psychicam; nam perpluries visum fuit juvenes sponsos, qui olim cum meretricibus rem habuisse, actum conjugalem cum juvene ac pudica sponsa perficere non posse ob defectum erectionis vel ejaculationis. Vir ad processus lascivos meretricium assuefactus, nequit excitationem experiri ante castos processus virginalis sponsæ.

Status pathologicus, qui confessariorum interest, est ille ad quem referuntur perturbationes sexuales, cujuscumque sint naturæ, visu, tactu, cogitatione productæ.

Quidam amasius quum epistolam sponsæ nubilis aperiret ac legeret, instinctive erectionem atque ejaculationem voluptuosam experiebatur. Alter quum perciperet odorem rosaceum intensam excitationem cum voluptate sentiebat. Alter, demum, imaginem pornographicam amasiæ aspicere nequibat, quia maximam ac irresistibilem impulsionem ad mansturbationem patiebatur.

Fetichismus erga partes corporis. Fetiches possunt esse os parvum vel magnum mulieris; pedes exigui, mammæ ingentes, medium hominis vel feminæ corpus, manus, oculi quoad colorem. Subjectus qui præfatis ægritudinibus laborat, simplici visu ac elementali consideratione circa objectum prædilectum, experitur organicam atque psychicam delectationem, quam conscientia agnoscit vel non agnoscit, juxta contramotivos ethicos ipsam dirigentes.

Mulier nupta, quæ vehementer amabat et concupiscebat proprium sponsum, qui os diminutum habebat; quum videbat virum ignotum os parvum habentem, statim maxima delectatione sexuali fruebatur.

Vidua, ætate quadraginta quinque annis, sponsum olim habebat cincinno rubicundo decoratum; nunc autem illa quum loqueretur cum viro vel aspiceret rubeum cincinnum similem cincinno sponsi, vividam excitationem, cum destilatione patiebatur.

Idem intellige de viris, quibus sufficiunt visus, tactus, etc., cujusdam partis corporis.

Fetichismus erga vestes. Quidam vir cum videret cunctanter subuculam ancillæ maximam patiebatur delectationem veneream; vires adultos pluries adinveni, qui coram pannis sororum, ancillarum, aliarumve feminarum, vel coram aliis objectis ad apparatum genitalem vel proximitatem ejus destinatis, resistere nequibant tentationibus atque vividis excitationibus sexualibus.

Fetichismus pathologicus æque potest afficere objecta materialia et partes physicas corporis, ac *psychicas* qualitates et sensus morales hominis.

Fetichismus, quidem, multum habet suggestionis seu melius, autosuggestionis; ast compertum est, qualitatem spiritualem vel psychicam faciliter obsidere posse, modo graviter morboso, personam prædispositam. Imago, emotio atque idea, evidentem actionem in centra nervea erectionis habent.

Maximi momenti moralis est hoc genus phænomenorum; quemadmodum sadismus devenire posset ad homicidium, ita, fetichismus, utpote attingens ad partes corporis, ad objecta materialia, et alia hujusmodi, occasionem vel motivum præbere potest abripiendi vel crimen perficiendi in personam et in res, quæ materiam autosuggestionis præbent.

Insuper, ex adjunctis perfacile cognoscet confessarius utrum excitationes eroticæ vel impulsiones ex fetichismo ortæ, acceptatæ lucide sint a conscientia, necne. Hæc ægritudo saltem minuit actuum responsabilitatem; tollit autem eam omnino, quum sit irresistibilis ejus influxus vel conscientiam graviter obnubilet (1).

(1) Recolenda doctrina de *voluntario in causa* in his et similibus.

Articulus 2.us

De exhibitionismo pathologico

M. Garnier (1) definivit exhibitionismum impulsivum, veluti syndrome degenerationis mentalis et perversionis sexualis, determinatæ a necessitate irresistibili palam ostendendi, generatim eodem tempore et eodem loco, propria genitalia, absque ulla provocatione nec operatione manuali. Ante templum, per quinque dies, hora sexta matutina, quidam vir se sistebat ut eum aspicerent personæ omnes quæ ecclesiam adibant. Nihil aliud efficiebat, quam genitalia exhibere coram omnibus, absque ulla manualizatione. Erat vir exhibitionista.

Supradicta definitio non comprehendit cunctos casus exhibitionismi impulsivi, plures enim existunt in quibus nulla est colluctatio cum obssesione vel cum conscientia, nec hora nec locus fixus; et casus præterea existunt, in quibus exhibitio comitatur lubricis operationibus, manstur-batione, erectione, etc. Ad hunc ordinem pertinent præsertim alcoolici chronici, epileptici, paralytici generales et nonnulli degenerati.

Aliquando, ait Féré, nihil aliud agit quam exhibere absque erotismo locali; sed pluries exhibitio fit coram feminis, pueris ac puellis cum excitatione physica ac manuali et cum spasmo venereo. Exhibitionismus est symptoma commune pluribus statibus morbidis, quamvis plerumque inveniatur in psychice debilibus, idiotis atque imbecillibus.

Animadverte quod exhibitionista frequenter impulsatur ad actus suos in locis sacris perficiendos. Juvenis, hac ægritudine affectus, ejectus fuit ex ecclesia quia diebus festis, in missis, quando major erat fidelium confluentia propria genitalia exhibebat coram feminis. Idem accidit in via quadam, in qua femina degenerata, ita consulto sedebat, ut sexualia coram omnibus monstraret.

(1) *Les perversions sexuelles obsédantes et impulsives au point de vue médico-légal. Congrès International de Médecine*, 1900.

Supra innuimus, epilecticos esse inter degeneratos, qui majora stigmata teratologica haberent, qui numerosiores anomalias instinctus sexualis ostenderent, et qui characteres exhibitionismi apertiores possiderent.

Clinica distinguit aliam formam, quæ *narcisismus* nuncupatur; et consistit in aptitudine sentiendi sexualem libidinem, absque excitatione manuali, ob simplicem sui ipsius contemplationem.

Krafft-Ebing docet hanc ægritudinem secum ferre gravem degenerationem intellectualem et moralem.

Lasègue, qui anno 1877 primum de hac anomalia et simbolismo erotico egit, casum patrisfamiliæ recenset, qui quindecim diebus se sistit in fenestra ut filiæ suæ coram domo paterna residenti genitalia exhiberet. Ad tribunal ductus confessus fuit se clare cognoscere suum indignum et pravum modum procedendi; sed irresistibiliter id efficere.

Aliam distinguere possumus formam exhibitionismi, quæ cognominari deberet *exhibitionismus representativus vel imaginativus*. Dantur, revera personæ, quæ maxime delectantur propria genitalia exhibendo ante imaginem photographicam distincti vel ejusdem sexus. Intentionaliter ut veri exhibitionistæ procedunt.

Articulus 3.us

De sadismo pathologico

Sadismus, juxta Garnier, est quædam perversio sexualis obsessiva atque impulsiva, vi cujus statuitur stricta subjectio et intimus nexus inter tolerantiam seu dolorem physicum realiter inflictum vel mentaliter repræsentatum et spasmum genitalem. Eo ipso, quod in hac perversione homo nullam voluptuositatem sexualem experitur, nisi ope violentiarum erga personas ejusdem vel alterius sexus, ab aliquibus vocatur *tiranismus*. Sadismus distinguitur præsertim propter desiderium personam dilectam vexandi; ast semper et in omnibus cum sexuali fine (1).

(1) Verbum *Sadismus* ortum ducit a fabulatore gallico, marchione de

In psychologico seu normali amore datur plerumque quidam sadismus attenuatus, quum amasius vel sponsus fruitur vel gaudet animum personæ dilectæ crucians et quibusdam verbis vexans.

Multum disceptatum fuit circa nexum inter dolorem et delectationem existentem; realiter inspecta sunt duo phænomena opposita; physiologice enim, unum significat irritationem textuum, alterum vero, functionem moralem voluntatis vel sensibilitatis affectivæ. Nihilominus, pathologice spectata, ut supponit sadismus, phænomena sævitiæ ac doloris constituunt delectationum sexualium fontem.

Ex cunctis sexualibus operationibus, sadismus est qui præminet quoad crudelitatem. Clinica diversos gradus in sadismo statuit, intra quos existunt a minimo ad maximum id est, a gradu platonico, qui illusionem phantasticam alit, ad gradum quo comprehenduntur horribiliores monstruositates. Potest, abs dubio, reponi inter graviores formas degenerationis ac perversionis sexualis.

Regis in varios gradus sadismum dispescit. Gradus cæteris levior est sadismus pure platonicus, seu ille qui voluptuositatem provocat simplici evocatione recordationum atque imaginum actuum crudelium. Secundo reperiuntur actus realiter violenti in quibus præbentur percussiones et morsus, præsertim in actu ejaculationis. Tertio dantur graves læsiones atque homicidia. Quarto demum comprehenduntur cæteræ monstruositates; ex. gr., homicidium cum jugulatione, mutilatio seu ablatio genitalium, vel eorum vexatio, actus eviscerandi et sanguinem victimæ bibendi; ac denique, necrophilia seu violatio cadaverum.

Sadismus refertur quoque ad objecta; id est, nonnulli intensam voluptuositatem experiuntur vestes personæ prædilectæ destruendo vel commaculando.

Plerumque sadismus fetichismo associatur; ambo quidem cum sævitia strictam servant relationem.

Obiter innuimus sadismum minime comprehendere vio-

Sade (1740-1814), qui damnatus fuit capite, sodomiæ, præbitionis venem et aliorum criminum causa; hic dum poenam lueret in carcere nonnullas scripsit fabulas in quibus intimum nexum statuebat sævitiam inter et amorem.

lentias a luxurioso exercitas quando virginem renitenten violare intendit; tunc enim, non vexatur victima ad voluptuositatem sentiendam sed ad libidinem facilius explendam in corpus sive virgineum sive corruptum.

Sensus moralis hujusmodi perversionis evidenter liquet ex characteribus prædictis; nam status psychologicus sadistæ totus est in voluptuositate sexuali; ad hunc scopum diriguntur universæ vexationes ac crudelitates in victimam commissæ. *Intellectus* est impotens ad reflexionem moralem perficiendam, immo nec lex moralis aprehenditur; *voluntas* probabiliter non operatur, nam totum spiritum occupat appetitus sensitivus, ex quo oriuntur gravissimæ impulsiones ad crimina. *Conscientia* quadam anesthesia et insensibilitate morali laborat.

Status, igitur, responsabilitatis, est status eorum criminalium qui sensum moralem amisserunt; et graviter obsessi, vividis impulsionibus obstringuntur ad vexationes, ictus, mutilationes et homicidia perficienda.

Quoad therapeuticam, ut dementes criminales pertractandi sunt; intellectum, etenim, conscientiam, voluntatem et sensum socialem prorsus amisserunt.

Articulus 4.us

De masochismo pathologico

Hæc forma perversionis in eo consistit quod voluptuositas erotica exclusive producitur per violentas acerbasque vexationes in proprio subjecto. Vocabulum eruitur e fabulatore hungaro Sacher-Masoch, qui in fabulis a se scriptis exhibet specialiter viros, quibus impossibilis omnino est delectatio venerea, nisi vapulentur vel graviter vexentur a femina cohabitanti aut complice.

Character essentialis masochismi sistit in desiderio vehementi vapulandi vel acerbe tractandi a persona amata Ut facile comperitur, est perversio directe sadismo opposita.

Rousseau citatur ut casus proprius masochismi, cum

enim magnam voluptuositatem experiretur, occasione qua fuit vapulatus in coxendice a femina Lambercier, voluit ut iterum ac pluries ab ipsa vapulatio iteraretur.

Raffalovitch hoc phænomenum *pasivismum* vocavit; quod varios gradus admittit. Primo, subjectus delectatur in mentali repræsentatione violentiarum; secundo voluntarie submittitur præceptis atque formulis ridiculis feminæ, et tertio, post hunc masochismum psychicum et symbolicum ad provocandam voluptuositatem, petit a femina ac subjicitur gravioribus violentiis ab alapa, ictibus pugni et vapulationibus usque ad læsiones sanguineas.

Casus masochismi sunt innumeri: in aliquibus subjectis est quædam præparatio ad actum conjugalem, in aliis inservit ad instar actus seu loco coiti, quum idem æstrum venereum sentiant. Masochista veluti moralitei degeneratus habendus est.

Inter plures casus a Krafft-Ebing citatos sequentem transcribere volumus. Agitur de inversionista, qui substituit amorem homosexualem per amorem meretricium: «Conducit sibi nonnumquam meretricem, ipse vestimenta sua omnia deponit, dum puellæ ultimum tegumentum deponere non licet, puellam pedibus ipsum percutere, flagellare, verberare jubet. Qua re summa libidine affectus pedem feminæ lambit quod solum eum libidinosum facere potest: tum ejaculationem assequitur» (1).

Articulus 5.us

De inversione sexuali pathologica

Nuncupatur *inversio sexualis*, *uranismus* vel *homosexualitas*, perversio, qua vir vel femina inclinationem sexualem dirigunt et libidinem explent exclusive cum ejusdem sexus personis. Uranismus, scribit Regis, est quædam anomalia præsertim psychica; consistit enim in inversione atractionis sexualis.

Cursus naturalis sexualitatis a divina Providentia præ-

(1) *Psychopathia sexualis*, pag. 137, Paris, 1895.

fixus, est directio viri erga feminam et directio feminæ in virum. Sensus normalis sexualis evolutionis secum fert pronitatem unius sexus in alterum, quam mutuo compleri oportet, dum status cælibatus, sive communis sive ec lesiasticus aliud non imponant. Contrarium cognominatur inversio ordinis naturalis.

Quod magnopere præstat ad individualitatem normalem psycho-sexualem efformandam, sunt influxus periphericus glandularum genitalium (testiculorum et ovarii), conditiones cerebrales atque medullares. Quamvis tamen processus physicus, seu melius, constitutio anatomica-physiologica sit perfecta, ob conditiones psychicas potest evolvi sensus sexualis contrarius characteribus sexus, quod aperte accidit in inversione sexuali.

Causa hujusce phænomeni estne anomalia quædam conditionum centralium, vel dispositio anatomica-physiologica apparatus genitalis, vel conditio aliqua hereditaria, vel est quidam hermaphroditismus seu bisexualitas latens, ut vult Krafft-Ebing? Lis adhuc sub judice est. Probabiliter inversionismus congenitus est fructus hæreditatis; inversionismus acquisitus est fructus mansturbationis, vi cujus pervertitur sensus moralis et adhuc verus sensus psychosexualis. Ab onanismo ad inversionismum unicus existit gressus.

Nobis refert studere pathogeniæ inversionismi sive in viris sive in feminis.

Onanismus, in primis, a tenera ætate inceptus, universos sensus morales extinguit. Quum subjectus degradatus ad ætatem procreationis pervenerit, maximam pronitatem erga proprium sexum experitur, quæ aberratio magnopere influit in amissionem sensus ethici, characteris, conscientiæ, et sensus communis. Quandoque metus infectionis acquirendæ, vel deceptio in prima copula absque delectatione habita, vel formido, in muliere, ne gravida evadat sunt causæ efficaces onanismi.

Onanismus activus præparat onanismum, vi cujus, homo vel mulier persæpe inveniunt seductorem vel alium inversionistam, qui faciliter præfatæ operationi coadjuvant.

Inversionista paulatim amittit sensum individualitatis psychicæ, et propriam personalitatem, characterem, et affectiones transmutat; adeo ut vir, si ita loqui fas est, quamdam *evirationem* et femina *defeminationem* perficiant, teste Krafft-Ebing.

Anno 1868, quidam inversionista nomine Ubrichs, quique plura scripta in lucem edidit sub pseudonymo Numa Numantius hanc tuitus est thesim, scilicet: «Vitam sexualem animæ esse independentem a sexu physico, et plures existere homines, qui coram hominibus seu viris, characteres, affectiones et animam totam femineam in se sensissent; id est, animam muliebrem in corpore virili inclusam esse.» Ipse expostulabat ab Statu et a societate ut legaliter constitueretur et agnosceretur hujusmodi *uranismus*, veluti legitimum matrimoniun» (Confer *Memnon* hujus auctoris).

Hucusque fanaticum furorem ut imperium degenerationis putidæque passionis tueatur.

Clinici summopere inquirunt, utrum inversio sexualis sit symptoma status neuropathici vel psychopathici, an constituat phænomenon interclusum? Generatim admittitur, quod secum fert stigma vel signum functionalis degenerationis, et est phænomenum partiale cujusdam status neuro-psycho-pathologici hereditati respondentis.

Animadverte quod hæc perversio impulsiva perducere valeat ad universas aberrationes, anomalias et monstruositates, quas comprehendit natura quædam profunde inæquilibrata.

Sensus pathologicus inversionismi, quatenus a nobis in præsente pertractatur, haud protrahitur ad casus particulares, quamvis innumeri reperiantur ut contingit in collegiis, asilis, carceribus et alïis in locis ubi congregantur pueri, puellæ, vires et feminæ, qui tactus, mansturbationes aliosque actus sodomiticos aperte responsabiles, mutuo perficere conantur. Inversio de qua agimus est ea quæ respondet impulsioni conscienti, sed involuntariæ; clarius: non agitur de actibus perversionis, sed de charactere perversitatis ex quo actus procedunt.

En sensus quæstionis quatenus ad moralistas vel con-

fessarios spectat. De cæteris agitur in theologia morali normali, ubi de *sodomia*.

Inversio in viro characteres exhibet speciales ab inversione feminea essentialiter diversos. Vir amittit, ut supra innuimus, viriles characteres et characteribus femineis induitur. Generatim munere fungitur passivo in actu seu exercitio uranismi; et vicissim femina in inversionismo femineo.

Uranistæ, sane, ab origine plerumque sensum et profundam propensionem erga personas ejusdem sexus experiuntur, licet aspectus seu personalitas intellectualis integra maneat. Vita sexualis est in homosexualibus eadem ac in heterosexualibus mutatis mutandis quoad diversitatem sexus.

Amor uranistæ erga complicem est æstuabundus; inversionista, etenim, maxima hyperæsthesia sexuali affectus est. Ardenter diligit masculum, vir qui muliebri munere fungitur quemadmodum femina diligit amasium in actu conjugali. Contactus carnalis viri cum alio viro sibi grato, præbet ei magnam voluptuositatis intensitatem; et utpote ambo crebro neurasthenia sexuali laborant, quia degenerati ab origine, vel quia onanistæ sunt, sequitur inde, quod perfacile eveniunt ejaculationes.

Quum uranista, ratione debiti conjugalis tenetur copulam perficere, magnopere dolet de actu conjugii ob perversionem gustus et ob difficultatem ejaculationis. Viri, quidem, ut coitum cum sponsa complere valeant, sæpissime cogitare tenentur se esse penes alium virum; secus copula minime perficitur; quod quamdam sodomiam repræsentativam constituit.

Chorea sive saltatio cum femina maxime displicet uranistæ; chorea vero cum viro formoso accipitur ut alta delectatio.

Vir uranista valde doctus ac cultus, haud negligit conversationem et relationes sociales, non sexuales, cum feminis eruditis atque urbanis; sed e contra, summopere fovet et grato libentique animo hujusmodi relationes scientificas, artisticas, vel sociales persequitur.

Quod dictum manet de uranismo masculino, idem servata proportione, dicendum est de uranismo femineo. Præ-

fati uranistæ dupliciter actum explent: mutua mansturbatione manuali et intimo contactu clytorideo. Clytoris facile erigitur et æstrum venereum provocat cum res habeatur cum femina, secus, si conjugium efficiatur cum viro; tunc enim, indiget feminea sive muliebri repræsentatione.

Inter plures casus pathologicos, sequentes innuere volumus. Vir erat ætate triginta et quator annis; a prima infantia fuit mansturbator activus simul et passivus. Ab amico efficaciter suadetur ut mulierem in sponsam sumat. Tempore præparatorio cum puella valde pulcra amorem fovet et relationes sustinet; interim ab omni mansturbatione, quantum potest, se abstinet, ut melius ad amorem hetherosexualem se præparet. Demum vir nupsit cum prædicta puella, et primis matrimonii mensibus, minime potuit coitum perficere aliquando ob defectum erectionis, quandoque autem ob impossibilitatem ejaculationis. Ipse fassus est, quod hanc impossibilitatem ejaculationis et difficultatem erectionis prorsus vincebat, mentem imaginationemque intense atque ardenter defigendo in persona amici, abstractione facta de muliebris genitalibus.

Quidam degeneratus inversionista ab anno decimo tertio ætatis suæ, ad mansturbationem perdite se pronum sentit, uti reor, causa paternæ hereditatis. Usque ad decimum sextum ætatis annum spasmum eroticum completum experiri nequivit, etsi cum pueris pluries tentaverit, imo et cum feminis ætate majoribus.

Posthac rem habuit cum puero *capillis rubeis* decorato, qui maximum æstrum venereum ipsi provocavit. Posthinc nequivit delectationem sentiri nisi cum pueris rubeis, erga quos vehementem impulsionem experiebatur.

Copulam cum meretricibus pluries tentavit, sed infructuose, deerat etenim ejaculatio et plerumque quoque erectio. Quum e domo meretricium exiret et propriam domum adiret, statim ei occurrebat juvenis rubeus, quem in famulum habebat et spasmum venereum uranistæ curabat.

Sic pertransiit malefaciendo senex iste inversionista. Fuit pluries accusatus et damnatus propter minorum corruptionem; persæpe e carcere liberatus, amicorum gra-

tia; bis graviter vapulatus a patre et fratre cujusdam juvenis rubei ab illo corrupti; et tamen ipse confitebatur se maximam excitationem atque impulsionem coram pueris rubeis experiri. «Tunc, aiebat ægrotus, plus valet hyperæsthesia sexualis, quam voluntas ac timor punitionis. Reor, quamplurimas et fere omnes monstruositates ac minorum majorumque corruptiones effectas fuisse compulsione erotica mere sensitiva absque ulla interventione partis (psychismi) superioris, more brutorum.» Evidenter agitur de viro graviter ægroto atque sæpissime irresponsabili vel saltem responsabilitate valde attenuata.

Inversio sexualis in feminis plerumque subjicitur statui nerveo et psychico speciali, qui associatur cuidam degenerationi cerebrali, ut perbelle asserunt ac tuentur Charcot, Magnan et Gley cum aliis quamplurimis. Præter casus in quibus adsunt graves deformationes genitales, præsertim clytorideæ, quæ provocant uranismum femineum ,cæterum potissima causa est status nerveus et mentalis.

Hermaphroditismus psychicus est quædam forma inversionismi, et in eo sistit, quod in corpore anatomice determinato quoad sexum masculinum vel femineum residet anima qualitates, aptitudines atque affectiones alterius sexus habens.

Re vera dantur viri cum femineis qualitatibus, aspiraminibus, appetitibus atque emotionibus; quemadmodum existunt quoque feminæ cum attributis virilibus. Hujusmodi viri viros quærunt ad sexum complendum; similiter ac mulieres, feminas cupiunt, quia quamdam masculinitatem in semetipsis perspiciunt.

Titulo curiositatis tantum sequentem volumus adnotare theoriam quæ apparuit in *Revue mensuelle de gynécologie*, junius, 1910, sub nomine Bompard. In hocce studio, enucleat theoriam geneticam et differentialem sexuum hac forma: Si fæcundatio locum habet in ovulo juveni, ipsa favet evolutioni sexuali femineæ; si fæcundatur in statu perfectæ maturitatis, ad typum masculinum pertinebit; si in periodo medio perficitur, tunc si enascitur vir, quali-

tates habebit femineas; si femina exorditur, aptitudinibus fruetur masculinis.

Factum hermaphroditismi psychici certe constat; hujusmodi vero theoria genetica inadmissibilis videtur; nam differentiatio sexualis probabiliter pendet ex statu chemico cellulæ spermaticæ et cellulæ ovularis, id est ex intensitate ac robore chromatinæ quæ est in nucleo.

Confessarius dignoscere debet ad diagnosim instituendam, utrum inversio sit congenita an acquisita.

Generatim, juxta probatos auctores, quicumque decursu temporis, ope automansturbationis vel onanismi passivi inversionem acquisiere sequentes habent characteres:

1.° Sensus seu affectio uranista modo tantum secundario vitam sexualem ægroti dirigit. Quamplurima phænomena inversionismi acquisiti sunt pure normalia. Hac de causa, nisi *habitus impulsivus* irresistibiliter ope actuum constitutus fuerit, ægrotus minime privatur libertate, sed dumtaxat haec minuitur.

2.° Jamdiu præminet sensus heterosexualis, quamvis subjectus impossibilitate laboret illum perficiendi. Sensus heterosexualis amittitur ex quo fortior evadit sensus uranista.

Casus congenitales, e contra, sequentia exhibent phænomena:

1.° Sensus homosexualis est qui præeminet in tota subjecti vita sexuali. Apparet veluti instinctus naturalis, seu ad instar innatæ pronitatis.

2.° Sensus heterosexualis deest ab origine; et si interdum sese revelat, habendus est tamquam phænomenon accidentale, quod in anima individui radices non habet, et est potius medium impulsionem sexualem ultra explendi.

Inversionismus acquisitus est curabilis, ast inversionismum congenitum difficiliter mederi potest, probabiliter ad instar hermaphroditarum tractandus est.

Quoad primam categoriam: 1.°, colluctandum est contra onanismum; 2.°, Curandum de neurasthenia sexualis, plerumque ob conditiones anti-hygienicas producta; 3.°, Processus psychotherapicus præsertim quoad sensus, imagines atque

impulsiones homosexuales. Quoad secundam, quippe quod malum nititur in quodam hermaphroditismo psychosexuali, difficiliter eradicatur vel profunde transformatur absque potentissimis suggestionibus vel aliis artificiis, ut pluries effectum est (1).

Articulus 6.us

De erotomania pathologica

In primis, *erotomania* sibi vult *maniam vel delirium amoris.* Lorry eam describit sub nomine *febris eroticæ* (2), P. Ferrand vocat eam *infirmitatem amoris* vel *melancholiam eroticam* (Parisiis, 1623).

Erotomania reapse secum fert summam intensitatem usque ad exaggerationem affectivitatis. Erotomanus erat Quijanus ille, erga suam Dulcineam, quemadmodum erotomani sunt illi omnes qui imaginatione, mente et corde cuidam personæ seipsos tradiderunt. Fabulæ amatoriæ sæpissime exhibent typos erotomanos, qui cultum idealem simul ac ridiculum subjectis tribuunt.

Hujusmodi ægroti, generatim affectiones carnales excludunt; immo, erotomani ordinarie sunt casti ac pudici. Ordinarie, inquam, dantur, etenim, casus veræ affectionis sexualis.

Hæc infirmitas secum fert characteres pathologicos obsessionis; est enim quædam imago fixa sensui seu affectione prorsus imbibita, quæ totam subjecti vitam, psychologicam et moralem penitus absorbet ac dirigit; affectiones, cogitatio, phantasia, appetitus erga objectum, e penetralibus spiritus, cultum idolatricum eidem reddunt.

Vidistine, lector amabilis, quosdam amasios, ardentissimo amore languentes atque insanientes per totam noctem sub fenestra frigus rigidum supportantes, et attestationes, protestationes, juramenta et intima colloquia per-

(1) Confer, *Psychopathia sexualis*, Krafft-Ebing, pag. 445, Paris, 1895.
(2) *De præcipuis morborum mutationibus et conversionibus, tentamen medicum.* Parisiis, 1784.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ficientes? Vidistine servos et mancipia alterius individui, penes quod est tota voluntas, affectivitas, cogitatio, sensus atque activitas mancipii, causa exclusiva amoris? Talis ægrotus, qui ad heroica sublimiaque quandoque ascendit, vel ad puerilia ac ridicula sæpe descendit nuncupatur *erotomanus*.

Compertum est, præfatum statum plerumque associari hysterismo aliisque affectionibus nerveis atque perturbationibus eroticis et psychosexualibus. Quamvis plerumque et fere semper erotomania incipiat pudice ac platonice; in decursu affectionis, tamen, crebro exurgunt motus, excitationes, passiones sexuales, quæ nisi continerentur, ad praxim pervenirent. Non adimveni nisi in fabulis ac poetarum phantasia præfatum amorem idealem; namque homo, anima et corpore constans motus experitur et excitationes exurgunt inter amplexus et oscula; licet non physice sed tantum representative vel imaginarie sint executi.

Existunt, sane, nonnulli, qui ob diligentes atque opportunas præcautiones, ob intensam conscientiæ puritatem et ob affirmationem spiritualem voluntatis, tentationibus efficaciter resistunt; ast raro contingit, quin sit regulæ exceptio.

Minime amplectimur in hac regula generali erotomaniam, quæ ad consanguineos proximiores, ad objecta inanimata, et ad colectivitatem anonymam aspicit; sed dumtaxat, quæ refertur ad virum vel feminam, cujuscumque sint ætatis vel conditionis, realiter existentes.

Distinguere oportet erotomania *normalis* et erotomania *pathologica*. Prima constituitur ab obsessione normali locum secundarium in spiritus directione occupante. Manet adhuc sufficiens resistentia in judicio practico et in voluntate, ut ridiculum perspiciatur et sufficienter conscientia obsistat. Erotomania pathologica nec videt, nec sentit, nec vult neque aliud conatur, quam imaginis obsidentis impletionem.

Fieri potest, insuper, ut quis ardenter amet usque ad erotomaniam, quin ipse diligatur ab illo, ut frequenter accidit. Hoc in casu maximum adest periculum ex parte per-

sonæ erotomanæ; hæc namque, amoris gratia, nihil inficiari valet viro vel feminæ respective, qui objectum obsessionis vel adfectivitatis pathologicæ constituunt.

Afficere potest, præterea, hujusmodi ægritudo pueros et puellas, juvenes et senes, nuptas et moniales, laicos et clericos et universas societatis classes.

Erat vidua triginta et sex annos habens; divino cultui ferventer vacabat et quinquies in hebdomada sacram eucharestiam suscipiebat. Doctrinis illuministis in omnibus quæ ad intimam cum Deo communicationem referuntur, superabundabat; summe impressionabilis erat et valde prona ad hysterismum.

Hæc femina adeo suum spiritualem directorem ferventissime diligebat, ut pro ipso ad heroismum sæpe pervenisset et propriam vitam absque hæsitatione libenter tradidisset. Paucis dicam: erat erotomana stricte accepta.

Femina, in prima periodo erotomaniæ, consulto attestabatur se nequaquam velle ullum peccatum admittere et Deum deprecabatur quotidie primum mori, quam conscientiam maculare.

Amor pathologicus ultra progrediebatur; ad hunc statum accedunt obsessio affectiva, autosuggestio et latens erotismus. His elementis perfacile efformatur processus graviter sexualis: femina quidem in suis cum Deo colloquiis autumabat se ad amorem fovendum omnia posse cum directore. Ita saltem revelatur ei a Spiritu Sancto, ut verbis suis utar, ut amor sit completus.

Mentem gradatim aperit directori, qui his propositis utitur ad facilius in laqueos diaboli cadendum. Nescio an director feminam intense amaverit, sed ad rem non attinet.

Affectus pathologicus viduæ vehementior fit; frequentius ac magis intime communicantur, et paulatim ad graviter illicita perveniunt. Vidua attestatur directori Deum clara voce factum approbavisse. Diu sic prosequuntur, quin vidua illuminata facta confiteatur ante communionem satis frequentem; illa fervidas protestationes contra peccatum ad Deum quotidie elevat et majori fervore gaudet.

Illa, bona fide, seu melius, hallucinatione graviter

pathologica credit Deum ipsi legem dispensase, nam post non pauca ratiocinia, observationes et mandata noluit admittere peccatum ambos fecisse. Promissit tamen factum posthac non iterare.

Uti aperte liquet, agitur de erotomana graviter obsessa et ideo forsitan irresponsabili. Secus, indignissimus director est prorsus responsabilis pravæ directionis et erioneæ formationis spiritualis viduæ, et potissime responsabilis actionum commissarum, sive peccatorum.

Difficiliter, nihilominus in rebus tanti momenti, datur gravis mentis obcecatio, nam lex moralis est nimis clara ut elementaliori conscientiæ latescat.

CAPUT XI

DE THERAPEUTICA SEXUALI

Curationem prophylacticam seu illam quæ prævenit et evolutionem ægritudinis impedit, cum agamus de educatione castitatis enucleabimus. In præsente, de therapeutica proprie dicta dumtaxat pertractare volumus.

Onanismus in viro et mansturbatio in viro ac in femina evenire possunt e causis physicis vel organicis; ex. gr. e pruritu, vaginiti, vegetationibus, vulviti, eczemats, syphilide, affectione herpetica, aliqua infeccione locali et ex aliis causis, ut ex congestione, etc. Tunc tollenda est causa, quæ occasionem præbet onanistæ ut sese mansturbet. Opus est ægrotis medico et chirurgico; mederi debent processibus pharmacologicis atque hygienicis. Sublata causa, tollitur effectus; amota occasione, amovetur actio.

Plerumque onanismus pathologicus est symptomaticus nerveæ affectionis vel status cerebralis morbosi. Hujusmodi onanismum aliter mederi debemus; debilitas mentalis ac nervea, etenim, hysterismus, epilepsia et nonnullæ affectiones mansturbationem provocantes, aliud regimen expostulant ab ægroto.

Præter medicamenta in respectivis locis significata, actio curativa exercenda est in nerveum systema; illud roborando per regimen hygienicum, per hydrotherapiam, etc., quum excitabilitas sit valde exaggerata, per antispasmodica. Vita campestris, exercitia physica et gymnastica, ablutiones seu lotiones frigidæ, absentia salsamentorum in cibis, abstinentia potuum alcoolicorum et aliæ præcautiones ejusdem generis, media sunt adæquata ad

mansturbationem vitandam vel saltem notabiliter minuendam.

Dantur quoque media mechanica apud indociles et graviter affectos applicabilia. Tales sunt subucula specialis, fortis et præ corpore longior, corii apparatus et alia hujusmodi, quæ frictionem partium impediunt. Erectio per tactus manuales vel alios quoscumque haud coadjuvata, cicius recedit et difficilis redditur ejaculatio.

In phænomenis nymphomaniæ et aliis appetitus venerei exaltationibus suadenda sunt medicamenta sedativa de quibus alibi egimus.

Apud mulieres nerveas et excitabiles, A. Lutaud formulas sequentes suadet:

Bromurus strontii	10 gram.
Extractus thebaici	5 centigr.
Tinctura hyosciami (beleño)	2 gram.
Ecligma ex malo aureo extracta	90 —

Potest substitui per cochlearium sequentis mixtionis:

Bromurus potassii	4 gram.
Vitellus	n.° 1
Camphora	25 centigr.
Emulsio saccharo imbuta	190 gram.

Nonnulli suadent quoque sequentem solutionem supra vulvam applicabilem:

Chlorhydratus cocainæ	2 gram.
Aqua laurocerasi	4 —
Aqua destillata	100 —

Vel etiam unctio unguenti confecti ex:

Chlorhydato cocainæ	2 gram.
Vaselina alba	20 —
Essentia rosarum	1 gutta.

Ex plantis vegetalibus plurimæ dantur, quæ vel stimulant vel deprimunt sexuales, nerveas ac cephalicas functiones. Sic, inter *aphrodisiacas*, seu functiones sexuales stimulantes existit: apium graveolens; ex *temperantibus*: rumex

acetosa (acedera), zea mays, gelsemium nitidum, cannabis indica (cáñamo indiano) pro systemate nerveo; ex *cephalicis*: nigella damascena (arañuela), fasminum officinale, sarracenia purpurea; ex *emollientibus*: acantus mollis, beta vulgaris (acelga), zea mays (maíz); ex *excitantibus*: cuminum cyminum, myrica gale, capsicum annuum (pimentero), raphanus raphanistrum (rabanillo), drosera rotundi (rosela); *contra affectiones herpeticas*: linum catharticum; ex *tonicis*: hibiscus abelmoschus, santolina chamæparyssus (abrótano), artemisia maritima (ajenjo marino), taraxacum, dens leonis; et aliæ quamplurimæ, quæ evidenter influunt in cursum ægritudinum nervearum, sexualiumque.

Tractationi vel curationi psychicæ et morali in alio capite studetur debita cum extensione.

Hucusque exposita medicamenta aliquid adjuvant ad excitationem sexualem sedandam; nihilominus ex therapeutica patet, nullam nos habere substantiam, quæ virtutem directe minuendi sexualem incitationem contineat.

Antequam huic capitulo finem imponamus sequentem doctrinam in memoriam volumus revocare.

Nonnullæ feminæ nuptæ in quadam regione orientali, ut in suis maritis extinguatur vel saltem plurimum moderetur ipsorum libido, illis prbæent quamdam defluam ore salivam ex qua conficitur medicamentum in homæopathia *rana-bufo* vocatum, vi cujus extinguitur vehementia sexualis vel notabiliter libido moderatur. Caute, tamen, procedere debet confessarius, ne illud suadeat personis appetitu indigentibus, veluti sunt. quæ ad matrimonium destinantur.

Formula homœopatica est:

Mane.....	4 globuli
Sub vesperum.....	4 —

Alternis hebdomadis usque ad tres vel quatuor.

CAPUT XII

DE EDUCATIONE CASTITATIS

Completa castitatis efformatio amplectitur: 1.°, æquilibrium naturæ organicæ: 2.°, firmitatem convictionis in ideis moralibus, religiosis ac philosophicis; 3.°, robur voluntatis ad bonum firmiter adhæsæ; 4.°, formationem habituum et eorum praxim; 5.°, denique et cæteris præstantiorem ac fecundiorem, gratiam Dei supernaturalem.

Ut ordinatim procedamus, sit:

a) **Æquilibrium naturæ physicæ.** Castitas est virtus compositi humani; nec corporis tantum, nec animæ solæ: illud præstat materiam, anima autem formam castitati adfert.

Ex dictis in præcedentibus capitibus apertissime liquet, organicam partium structuram summopere referre ad praxim castitatis; similiter adjectiones locales, generales, chemicæ alterationes, anemia, congestiones, irritabilitas textuum, perturbatio physiologica cellularum, etc., maxime in cursum evolutionemque castitatis influunt.

Natura physica constat elementis materialibus, quorum functiones, robur, misera structura, facilis vel turpis circulatio et chemica constitutio præbent organismo rectum æquilibrium vel inordinationem functionum. Abs dubio, prima causa inæquilibrii organici, est ipse organismus; nam nutritio insufficiens, intoxicatio in cibo vel in potu, infectio magni momenti el aliæ causæ physicæ naturam somaticam in deterius prorsus commutant et inæquilibrium inferunt.

Præterea ex his naturæ perturbationibus insurgunt ma-

teriales seu elementa passionum constituentia, adversus directionem aspirationesque spirituales. Passiones nullam servant disciplinam; valde propriam actionem exaggerant et phænomena producunt psychopathologica, quæ evidenter inæquilibrium accusant.

Natura rite ordinateque efformata a prima ætate, gratia Dei opitulante, instinctus sexuales dominatur, utitur corpore ad naturales licitosque usus perficiendos; a pubertate penitus se abstinet a quavis indecora actione.

Corpus ob mansturbationem evidenter pravos habitus nanciscitur, qui illud maxime perturbant in physiologicis et psychologicis functionibus.

Supra innuimus corpus per abstinentiam a carnalibus magis magisque roborari; organismus etenim servat, vel semel segregatam, assimilat materiam ad generationem inservientem. Corpus, sedes castitatis, cunctas sexuales passiones dominatur atque actionem instinctuum intra rationales limites coercet.

b) **Firmitas convictionis**. Non nobis aufugit, ideas minime omnipotentia gaudere, sed e contra, plerumque fragiles esse atque inconsistentes, adeo ut omni vento opinionis vel impressionis transmutentur. Ast ideæ, doctrinæ, sententiæ, etc., primum elementum conscientiæ constituunt, et directricium vitæ moralis munere funguntur.

Experientia teste, singuli homines operantur, generatim, juxta proprias convictiones. Dantur quidem anomaliæ in actionibus humanis, sed quamplurimi reperiuntur processus normales. Juvenes in collegio salutiferis doctrinis imbibantur; domi, conversationes atque sententiæ perutiles ipsis præbeantur et a lectionibus noxiis diligenter arceantur.

Apud nonnullos parentes, infauste invaluit doctrina, juxta quam, juvenes omnia possunt sive legere sive retinere. Inde quædam schola exsurrexit, quæ domos, populos, civitates, circulos ac centra socialia invasit et pravis libris, ephemeridibus atque imaginibus photographicis admodum pornographicis ea adimplevit.

Opus est, ideas christianas quoad moralitatem penitus

prævalere et præjudicia contra castitatem funditus eradici. Spiritus qui comprehendit excellentiam virtutis si huic locum præcipuum in conscientia dat, faciliter ad ejus prædilectionem pervenit.

Magnopere disceptatum est, hodiernis temporibus, an oporteat juvenibus tradere instructionem circa generationis phænomena. Prætermissis omnibus quæstionibus, quæ acriter contenduntur, hæc tantum modo innuemus.

Juvenes et puellæ instrui debent circa sexualia a parentibus, magistris vel confessariis modo opportuno et gradatim, juxta necessitates, circunstantias atque ætatem ipsorum.

Ignorantia nullo modo confundenda est cum innocentia: innocentia est puritas mentis, cordis et corporis, quæ apprime conjunguntur cum perfecta cognitione ac completa notitia quæstionum sexualium; ast ignorantia est carentia seu privatio cognitionis in subjecto. Itaque, illa ad qualitatem virtutis, hæc ad qualitatem cognitionis spectat.

«Opportune et gradatim», inquam, quia præcox eruditio vel instructio de rebus sexualibus potius nocet quam inservit. «Præcox illa eruditio ideas gignit eroticas, quæ sexualibus stimulis incipientibus, ipsam sexualem evolutionem celeriorem efficiunt, et ad novos stimulos excitandos inserviunt» (Gemelli).

Influxus agentis absque sufficienti resistentia ducit ad destructionem; nunc autem: lectiones circa erotica vel sexualia plus æquo acceptæ, in juvenili ætate, quomodocumque nullam præparationem secum ferunt, utique ad ruinam moralem perducunt. Notitiæ sexuales exaggeratæ munere veneni funguntur erga juvenes non sufficienter dispositos.

Ignorantia quæ a candidis parentibus præsumitur, revera non existit, nam instinctui sexuali naturaliter exurgenti occurrunt pravæ explicationes, verba malitiosa, exempla indecora comituum, quæ pessime substituunt parentum explicationes, seu melius præparationes ac resistentiam filiis inditam (1). Privatim vero perficiatur hujusmodi instructio.

(1) Consule præstantisimum opus, auctore Genaro González Carreño, *La educación sexual*, in quo perbelle defenditur ac enucleatur criterium supra expositum.

c) **Robur voluntatis ad bonum firmiter adhæsæ.** Ideæ haud sunt omnipotentes, sed maxima gaudent virtute; voluntas vero, fruitur superioribus viribus, et fere omnia potest; quoad moralitatem autem, indiget homo efficaci educatione vel firma adhæsione. «Velle est posse», fert effatum hispanum; «velle est agere», ait effatum germanicum.

Nihilominus utrumque carent fundamento, ipso facto, quod supponitur voluntas ineducata, vel graviter infirma, vel indifferens. Prima voluntatis formatio constituit fulcrum principale, quo nittitur vita hominis psychologica et moralis; reeducatio voluntatis semel læsæ et effrenatæ est omnino necessaria ad energiam moralem tentandam et resistentiam complendam.

Cum primi instinctus sexuales exurgunt, voluntas, utpote potentia cæteris excelsior, virtutibus christianis debet roborari, consiliis practicis ad invicte resistendum disponi, et, demum, resistentibus habitibus muniri.

Ut universa docet philosophia, potentia cui determinata forma adest, nequit simul contrariam formam admittere; debet necessario expelli prius forma antiqua; nunc vero, voluntas a virtutibus possessa, difficiliter admittet formam immoralitatis sexualis. Voluntatis educatio, igitur, est prorsus necessaria ad custodiam castitatis.

Voluntas, insuper, est janua attentionis et conscientiæ: cum voluntate defigitur intellectus in objectis, intra limites proprios passiones servantur et pericula adversus castitatem effugiunt.

d) **Formatio habituum et eorum praxis.** Idea vel reflexio meditativa sensibus adjectivis imbibita, repræsentat quamdam magni momenti potentiam, sed laborat adhuc vera insufficientia ad ardua vincenda et nonnullas difficultates superandas. Opus est nobis habitibus, qui totam animæ vim inferant,

Sæpissime contingit, ideam seu reflexionem, immo et judicium ultimum practicum simul cum voluntate, aliquid honestum ac conveniens præcipere, et tamen ob defectum habitus seu exercitii operationem non determinari.

Habitus psychologice spectatus secum fert statum quemdam conscientiæ, qui mirum includit vim cogitationis ac reflexionis, energiam voluntatis necnon determinabilitatem conscientiæ et activitatem praxis. Quemadmodum conscientia socialis vel domestica essentialiter constituitur ex ideis, principiis et doctrinis; ex sensibus adfectivis, appetitibus sensitivo et rationali, impulsionibus atque emotionibus; et demum, ex moribus, legibus et quidquid praxim constituit; ita quoque, conscientia individualis ex triplici constat elemento; ideativo, scilicet, a ectivo vel appetitivo et emotivo ac elemento activo seu praxi. Hac de causa, habitus castitatis in anima vel in juvene, gaudet magna potentia, si debitae adhibeantur cautelae.

Parentes, igitur, magistri ac confessarii summa diligentia curent, ut filii, discipuli ac pœnitentes profunde defigant habitus virtutis et præsertim castitatis in anima. Nihil aliud permittant corpori, nisi quod hygiene sexualis exigit et commendat; ab spectaculis periculosis diligenter arceant et determinatas commixtiones bisexuales sedulo invigilent.

e) **Gratia Dei supernaturalis.** Potissimum elementum formationis castitatis est gratia Dei vel auxilium supernaturale.

Re quidem vera: Patres, Doctores ac Magistri maxime commendant orationem et pietatem ad puritatis virtutem assequendam. Natura, ex se, pauperrima est etiam quoad difficultates ordinis naturalis vincendas; quid valeret ergo, ad tentationes contra castitatem superandas absque gratia?

Castitas difficile acquiritur et facile amittitur; quamobrem solis viribus naturalibus, homo inordinationibus instinctus sexualis minime resistere potest.

Doctrina atque historia sanctorum aperte docent hominem virtutem castitatis moraliter assequi non posse, quin gratia Dei supernaturalis adjuvet. Idcirco suadenda juvenibus lectio spiritualis, frequentia sacramentorum, meditatio brevis sed oportuna, brevissimæ ad Deum deprecationes, sensus intimus pietatis erga Immaculatam Deigenitricem, quæ magistra ac mater puritatis a sanctis cognominatur.

Devotionem quoque ad Angelum custodem summopere imbibant, qui post Deum et Sanctissimam Virginem est primus cui incumbit nostrorum formatio, educatio ac custodia, quia hæc omnia expresse Deus ei commendavit.

Qui firmum habet sensum pietatis et alioquin aliqua ægritudine psychosexuali non laborat; qui animam sanctis sacramentis reficit et attentionem, voluntatem et conscientiam sedulo intendit, et insuper pericula prudenter aufugit, quod maxime attendendum est indubitanter virtutem castitatis acquiret et præmium ei concessum possidebit. «Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det..... adii Dominum et deprecatus sum illum.» (Sapient., VIII, 21.)

CAPUT XIII

DE OBSTACULIS CASTITATIS

Ex dictis mirum in modum elucet nonnullas difficultates nobis obvenire *ex mundo externo*, nonnullas vero provenire *ab ægritudinibus psychophysicis subjecti*.

Plures dantur causæ extra individuum degentes, quibus tribuitur facultas nerveum atque sexuale systema excitandi, quas in sequentes paragraphos ordinatim distendam.

Desidia parentum. In anteriori capite fusius perspeximus quomodo educationem castitatis parentes perficere debeant; nunc autem fas est asserere, parentes maxime negligere rectam ac tutam formationem.

Filii, quidem, ad comites, institutrices et puellas traduntur, quin de eorum moralitate nihil certo constet apud parentes. Viva imaginatione ac ingenii acuitate præditi, perfacile sumunt vel discunt lectiones, quæ sive in via, sive domi, in collegiis, et in officinis ipsis præbentur. Mala exempla instinctus sexuales præcipitant. Parentes invigilare tenentur ne figuras turpes, picturas obscenas et alia quamplurima objecta directe appetitum venereum excitantia, filii retineant. Præceptores pariter ac nutrices persæpe sunt veri eorum corruptores, quemadmodum et ancillæ, immo et parentes ipsi cum quasdam actiones et determinata verba coram illis facillime exhibeant.

Ob desidiam parentum, nonnulli, prima ætate currente, domus meretricium adeunt, ut ibi facilius pravas lectiones discant et omni generi voluptatum dejecte indulgeant. Parentes novimus, qui filias pravissime ad prostibulum manu sua duxerunt, ut aliquid lucrarent in carnali commercio. Alii,

domus januas, die ac nocte, læti aperiere, ut mediante pecunia eis tributa, in filias libidinem alii explerent.

Insufficiens præparatio moralis ad maternitatem, secum fert, consulto vel inconsulto, quædam crimina moralia, quæ valde accusant parentum conscientiam. Primum ergo obstaculum quod serio opponitur praxi castitatis est desidia parentum.

Cinematographus. Nemo nescit, damna gravissima quæ in hujusmodi spectaculis pueris, puellis, adultis ac senibus inferatur. In opere recenti fusius peregimus de hac materia (1); representatio cinematographica directe operatur in systema nerveum, in viscera et in apparatum sexuale. Grave crimen morale committunt parentes, filios ad hujusmodi spectacula comitantes seu ducentes.

Pueri, a pubertate præsertim incitationes sentiunt; juvenes pabulum igneum inveniunt, et senes instinctus sexualis resurrectionem reperiunt in præfatis spectaculis.

Experientia teste, sæpissime accidit, cinematographi causa plures evenire ægritudines, perturbationesque sexuales. Pellicula primo agit supra cerebrum, deinde automatice influit supra systema viscerale; natura semel a figuris et stimulis impressa facile ducitur ad quoscumque excessus, nisi magna resistentia et præparatione muniatur.

Idem dicendum est de cæteris spectaculis, quæ oculos demulcendo et aures fascinando, sensus movent atque perturbant, necnon concupiscentiam ad libidinem incitant.

Sanctus Chrysostomus agens de theatris immoralibus, scribit: «in theatris immoratio fornicationem et omnem incontinentiam parit; unde theatrum contagiossisima pestis est, virus pestiferum, voluptuosa perditio, adhortatio turpitudinis, fæditatis exemplum, intemperantiæ schola, scortationis gymnasium». «Qui non vult, ait Sanctus Bonaventura, illaqueari a dæmonibus laqueo carnalis lasciviæ, debet quantum potest declinare spectacula vanitatum.»

Quibus verbis, hodiernis temporibus, illi sancti Patres ac Doctores hujusmodi spectacula damnassent? Existunt

1) *La Moral en la calle, en el cinematógrafo y en el teatro*, por el P. Francisco de Barbens. Barcelona, 1914.

theatra atque spectacula cinematographica in quibus apparent mulieres et viri prorsus nudi; procacissimæ feminæ in scenam prodeunt, actionibus et gestibus ad voluptuositatem sexualem provocantes et ad omne genus corruptionis inflectentes. «Nemo, inquit Lupellus, ex hac libidinum fornace, sanus et integer exit, nemo nisi lascivior, et in pravas cupiditates proclivior, domum redit.»

Onanismus conjugalis. Maximum obstaculum castitatis conjugalis est onanismus. Matrimonium ut suapte natura constat est propter humani generis propagationem; adeo ut reprobatur omnino «inordinata seminis ejectio, quæ est præter leges et a ratione aliena» (S. Clem. Alex.). «Illicite ac turpiter etiam cum legitima uxore concubitur, ubi prolis conceptio devitatur» (S. Aug.)

Unica onanismi causa est libera hominis voluntas; attamen quædam adducuntur rationes, quæ gradatim voluntatem alliciunt, movent et ad limites penes quos fere est determinatio, perducunt.

Onanistæ summa religiosarum idearum debilitatione laborant. Religiosa conscientiæ educatio; moralis hominis formatio reprobant quidquid sanos mores et legem naturalem, divinamque perturbat. Præscriptiones morales contra onanismum conjugale respondent legibus naturalibus, physiologicis et hygienicis. Sponsi post sexuales voluptuositates abeunt, et insequentes molestias ac naturales vexationes renuunt.

Præter defectum religionis et absentiam sensus moralis, reperitur quoque absentia sensus maternitatis atque spiritus mortificationis, et potissime defectus amoris. Qui vere filios diligunt pro illis sacrificia impendunt et inopiam alimentorum non timent.

Nemo est qui nesciat Malthum hanc theoriam formulasse, scilicet: «Homines citissime atque indefinite multiplicantur; fructus terræ, e contra, aliaque ad vitam necessaria tardius limitateque augentur. Ergo ne fame pereant, rationibus coercitivis, eorum generatio limitanda est.»

Hoc systema, quoad essentiam his verbis expositum, valde influit in criterii formationem, seu melius, in defectio-

nes conjugales. Conjuges timent, homines ne nimis multiplicentur et in tantam deveniant necessitatem, ut vel fame pereant, vel miserrime vivant. Infelices nesciunt vel scire nequeunt, «sapientis artificis esse non tantum facere, sed etiam conservare» (S. Bonaventura).

Cognitis falsis rationibus vel effugiis quibus nituntur onanistæ, confessarius vehementer hortetur culpabiles ut voluntati Dei se submittant in filiorum generatione et opus divinæ Providentiæ callide non impediant.

Eos insuper admoneat de damnis physicis ac moralibus viro et feminæ inlatis juxta sequentem compendiosam relationem; at caute semper ne limites necessitatis aut honestatis praetergrediatur.

In primis, fraus conjugalis, teste Bergeret (1), producit in femina graves infirmitates apparatus sexualis; a simplici inflammatione usque ad graviorem inorganizationem.

Plura adducit exempla *metritis acutæ* propter coitos frustratos præsertim in junioribus feminis. Nihilominus frequentior gignitur *metritis chronica*, seu chronica uteri inflammatio ob violationem legum naturalium ut pluribus casibus enucleatur.

Quandoque membrana quæ interiorem matricis et vaginæ cooperit, fraudulentarum operationum causa, ita læditur, ut abundantem *leucorream* producat.

Apparatus organicus, insuper, ad germen humanum suscipiendum destinatus, præditus est quadam vascularitate cum functionibus ejus relationata. In acto conjugali, sanguis affuit superabundans ad finem generationis; qua frustrata, persæpe oriuntur graves inordinationes in sanguinis circulatione; unde *menorrhagiæ*, *metrorrhagiæ* atque *hematoceles*, quod evenit, cum sanguis e læsis canalibus cum utero non communicantibus, aliquo loco sistit, ibique coagulationem patitur, tumorem efformando.

Congestio sanguinea ex iteratis fraudibus orta, potius gignit *tumores fibrosos* et *polypos*, quam effusionem morbidam per naturales vias provocet.

(1) *Des fraudes dans l'accomplissement des fonctions génératrices; causes, dangers et inconvenients.* Paris, 1910.

Fraudulentæ operationes, vero, non semper alterationes materiales producunt in apparatu genitali; aliquando eveniunt profundæ enervationes quæ nomen *hyperesthesiæ uterinæ*, *hysteralgiæ* et *neurosis uterinæ* accipiunt.

Similiter crebro oriuntur *inflammationes mammariæ*, ob intimam cum utero sympathiam; *cancer uterinus*, qui post non paucas et graves molestias, plerumque subito mortem producit; affectiones ovarii, a simplici ovariti acuta ad graviores implicationes; et demum, sterilitas, organa etenim feminæ ita modificantur, ut postea conceptio sæpe reddatur impossibilis.

Hic status nullitatis oritur, vel quia ova succesive exeunt ab ovario propter iteratas excitationes, vel quia ovaria destruuntur aut imflammantur, aut suppurant et tumores chisticos producunt. Clinica testatur, raro ab ægritudine se eripere mulierem quæ conjugio matrimoniali, sensu onanistico, abutitur.

Universa physiologia docet, sive viros sive feminas graves pati perturbationes nerveas ob fraudes genesicas. Si omnibus hominibus applicatur illud effatum physiologicum: *omne animal post coitum triste*, maxime de onanista dicendum est, nam postquam energiam viresque cum semine amissit, libidinem complete non explevit.

Idem asserendum est de perturbationibus circulatoriis, respiratoriis ac diggestivis, quæ frequentes sunt apud onanistas.

Fraudes genesici facilem reddunt infidelitatem utriusque sponsi; sensum moralitatis e femina tollunt, filii, si forte eveniunt, debiliores, pallentes et plerumque scrophulosi evadunt. Medicamenta, quæ frequenter suscipiunt feminæ ut nemaspermata occidant intra vagina vel utero præterquamquod propositum criminosum haud consequuntur, nihil aliud efficiunt, quam energiam debilitare et accesorios graviter lædere.

Constat factum subitæ mortis, quæ pluries evenit, propter fraudulentam abrumptionem copulæ.

Cæterum, perfacile a confessario perspicitur, quid suadendum sit pænitentibus ut legem christianam efficaciter servent.

CAPUT XIV

DE DOCTRINA SCHOLASTICA QUOAD SENSUALITATEM

Sit in primis doctrina **Alexandri de Hales**, quem studiose excolunt B. Albertus Magnus, S. Thomas et S. Bonaventura (1).

Agens *de primis motibus* scribit: «Primus motus est motus sensualitatis, secundum impulsum fomitis impetuose tendens ad fruitionem creaturæ delectabilis.

An primus motus peccatum sit? Dicendum: quosdam distinguere inter motum primo primum, et motum secundo primum. Primo primus motus est, qui repente exurgit: et ille non est peccatum: secundo primus motus est, qui post illum incurrit, et hic est peccatum, quia debebat reprimi ex quo sentiebatur primo primus.

An ad primos hujusmodi motus necessitemur? Dicendum est: quod uno modo est necessitas ad primos motus, et alio modo non: non enim est necessitas ad hunc primum motum vel illum; licet sit necessitas ad aliquem, manente corruptione in sua causalitate: potest enim manere corruptio, sed tolli causalitas ex virtute gratiæ.

An ratio peccet, non reprimendo primos motus? Ad

(1) Alexander Halensis, *Doctor irrefragabilis*, *Doctor Doctorum* et *Doctor summus* cognominatus, ita a sancto Bonaventura æstimatur: «Fratrem Alexandrum de Ales Patrem et Magistrum nostrum». (II Sent., dist. 23, art. 2, q. 3). «Quemadmodum in primo libro sententiis adhæsi et communibus opinionibus Magistrorum et potissime Magistri et Patris nostri bonæ memoriæ Alexandri, sic in consequentibus libris ab eorum vestigiis non recedam» (Prolegonema in I librum Sent., p. 57; Ad Claras Aquas [Quaracchi], 1882).

«Cujus (Alexandri de Ales) doctrina quantæ sit ubertatis, dici satis nequit. De qua fertur respondisse sanctus Thomas dum inquireretur ab eo, quis esset optimus modus studendi Theologiam: Respondit exercere se in uno doctore præcipue. Dum ultra peteretur, qui esset talis Doctor: Alexander de Ales.» (Gersonius, Opera Omnia, tom. I, pag. 554, Parisiis, 1606).

quod dicendum: ratio non tenetur reprimere primos motus mortalium peccatorum, ne surgant; sed ne perducantur ad consensum superioris partis: hoc est, tenetur non consentire secundum superiorem partem, vel etiam secundum inferiorem, cum jam pervenitur ad judicium ipsius definitivum.

Primi motus sunt æquales quantum est de radice; sed non sunt æquales quantum est ex parte subjecti, in quo est radix. Unde major pronitas dicitur duobus modis: vel ratione ipsius fomitis; vel ratione dispositionis in subjecto. (Ex parte II, quæst. CVIII.)

Sensualitas ut appetitiva est boni vel mali, ipsa est vis motiva faciens motum. Ut vero cognitiva utriusque illorum, vis est disponens ad motum. (Ibid, quæst. LXVIII.)

Peccatum veniale differt a mortali in eo quod veniale est libido sive voluptas (conversio indebita) in creatura citra Deum; mortale vero est libido sive voluptas in creatura supra Deum, vel æque Deo. Cum autem valde vicinia sint peccata in eodem genere materiæ, difficile est dicere usque ad quid extendatur veniale peccatum et quando incipiat esse mortale (Ibid, q. CVII, art. 3).

B. Albertus Magnus scribit: Sensualitas est una quædam vis communis qua exteriori motu sensibilium vel acceptorum cum sensibilibus illecebroso motu intenditur ad appetenda ea quæ carnis sunt (II pars. *Summæ theol.*, tract. XV, q. 92).

Est etiam appetitus improbus ad illicitum, præcipue in homine, qui serpentiva suasio est, quia pectore et ventre repit ad persuasionem illiciti et appetendum vel persequendum contrarium furiose, et non secundum rationem: et hic appetitus proprie est sensualitatis. (Ibid.)

Sensualitas ut est per naturam non participat rationem, sed irrationalis motus est et cum impetu (Ibid).

Sensualitas comprehendit potentiam aprehensivam, delectabilem et appetitivam ante judicium rationis (*Summa de creaturis*, tract. IV, q. 69).

«Signum quod testiculi sunt vasa spermatis in hominibus quidem est quod in tempore delectationis coitus quando sperma funditur, testiculi contrahuntur et incurvantur, ut

sic exprimendo et fundendo emitatur sperma in canalis virgæ» (lib. XV *de animalibus*, tract. I, cap. III).

Concupiscibilis proprie loquendo est vis sensibilis animæ, cujus proprius finis est delectabile in sensu et imperat motum ad consecutionem illius (*Summa de creaturis*, tract. IV, q. 66).

Ex præfatis liquet, influxum sexualem, cum agat absque freno rationis ac voluntatis maximas producere perturbationes; imaginem repræsentativam, emotionem atque passionem, independenter ab elemento spirituali, universa fere phænomena pathologica provocare.

«Nihil laudatur vel vituperatur in homine, nisi cujus ipse est causa; et eo plus, quo ipse plus causa est» (Lib. III *ethic.* tract., I, cap. I). Homo qui absque cognitione et voluntate operatur non est causa formalis operum materialiter productorum.

Eodem sensu, immo, clarius ac fusius de hac doctrina peragunt, sanctus Thomas, sanctus Bonaventura, B. Scotus, Richardus Middletonus et quamplurimi doctores, quos sedulo insequimur in re tanti momenti.

Ut clarissime effulgeat orthodoxia doctrinæ a nobis propositæ, sequentia ex probatis doctoribus eruere volumus, ad causas directe vel indirecte in intellectum, in voluntatem atque in activitatem influentes, spectantia.

Universi theologi tenent, quasdam dispositiones esse mentis et corporis, in quibus homo vel cognitione sufficienti vel libertate vel æquilibrio nerveo privari, ita ut actum vere humanum vel nullo modo vel valde imperfecte perficere valeat.

Sit in primis *ignorantia* vel *insufficientia mentalis* vel *error*. Ignorantia est carentia alicujus cognitionis in subjecto cæteroquin capaci. Mens manet insufficiens; quemadmodum propter errorem redditur obsessa vel hallucinata, quum illum gradum exaggeratum acquirat.

Unde: Ignorantia, insufficientia mentalis vel error moraliter invencibiles, sive actualiter sive in causa, tollunt liberum, ideoque imputabilitatem, circa id quod ignoratur.

«Ex hoc capite, sæpe pueri et rudes, qui inhonesta pera-

gunt, quorum malitiam non bene intelligunt, secundum gradum ignorantiæ plus minusve a peccato gravi excusantur» (Tanquerey).

Ignorantia actualiter vincibilis liberum non tollit, sed minuit, saltem si non est affectata.

Ignorantia hic et nunc invencibilis, quæ olim tamen vincibilis fuit, tollit quidem liberum actuale et in se, sed relinquit voluntarium in causa.

Intensum, insuper, influxum in voluntatem exercent passiones, quatenus significant animi affectus, qui ex appetitu sensitivo oriuntur cum quadam organica corporis commotione.

Passiones *involuntariæ*, seu eæ quæ sponte exurgunt sive exfortuita occasione, sive ex corporis dispositione, absque deliberatione et consensu, et passiones *antecedentes*, quæ voluntatem præveniunt et alliciunt ad actum, persæpe tollunt libertatem et voluntatis resistentiam, quandoque vero liberum minuunt.

«Motus, antecedens quidem, plus minusve turbat rationem, eamque impedit ne attente motiva opposita consideret; vehementer etiam voluntatem solicitat ad consentiendum, et dum auget vires ad prosequendum bonum propositum, vim resistendi non parum minuit. Quod quidem psychologice ex eo constat, quod passionis motu sedato, jam res diverso modo a ratione percipitur ac sæpe voluntas vehementer dolet de consensu præstito» (Tanquerey).

Auctores universim conveniunt, passionem quandoque adeo vehementem esse ut mentem penitus disturbet et rationis judicium de moralitate actus impediat; quo in casu, actio non est libera ac proinde, nec responsabilis.

Hæreditas, similiter, aliquem influxum habet in libertatem; eam perpluries minuit, raro tollit.

«Fateor equidem, scribit auctor supracitatus, hæreditariis propensionibus *minui* liberum arbitrium, quatenus illis obnubilatur ratio et vis voluntatis aliquo modo enervatur, prout diximus de passionibus quibus hæreditariæ inclinationes assimilari possunt. Nec diffitemur quandoque a parentibus vitiosis traduci quamdam amentiæ speciem, quæ

penitus libertatem tollit. Sed quotiescumque manet rationis usus, eo ipso manet potestas deliberandi et eligendi.»

Idem asserendum est de temperamento et de habitibus.

Auctores, Noldin et Tanquerey testibus, eamdem doctrinam quam nos sustinemus tuentur quoad status pathologicos. Hujusmodi status directe nervosum systema afficiunt et indirecte voluntatem.

Praestantissimus Paulus Zacchia, protomedicus generalis totius status ecclesiastici, in ejus opere *Quaestiones Medico-legales* (Venetiis, 1789), agens de dementia, de rationis lasione et de morbis omnibus, qui rationi eam laedunt laesionem habent notatu digna.

«Omnes affectus hos in quibus rationalis facultas in homine suis operationibus minus recte et ex Natura instituto fungi conspicitur, communi ac generico quodam vocabulo medici *amentias*, seu dementias vocitare consueverunt, quia hujusmodi passionibus detenti, homines sine mente esse videntur, ea nimirum parte laesi, aut in totum orbati, quae nos ab ipsius bestiis amentibus discriminat ac secernit, et in proprio ac naturali esse hominum constituit.»

«Signa non sanae mentis varia in variis affectionibus, atque diversis aegrotis existunt, neque eadem in iisdem eodem morbo laborantibus reperire contingit: non solum enim varii morbi sunt inter se, sed etiam idem morbus a seipso varius est ob subjectorum varietatem, aegrotantium nimirum temperaturam, humorum peccantium naturam, miscellam ac qualitatem: unde et pene in infinitum variari signa non sanae mentis contingit.»

Auctor abundat sensu a nobis adhibito in solvendis quaestionibus neuropathicis et psychopathicis.

Postquam expressit ac defixit sensum proprium dementiae, ejus differentias, signa non sanae mentis ac diversas laesiones in singulis dementiis, agit, clarissimus auctor, de rationis diminutione ex defectu aetatis et sexus; de rationis laesione ex animi passionibus et ex pravitate morum; de ignorantibus, fatuis, stolidis, obliviosis et memoria orbatis; de melancholicis, de amantibus, de comatosis; de apoplecticis, epilepticis et lunaticis; de ictis a fulmine, attonitis, phre-

neticis, maniacis et furiosis; de fanaticis, lymphaticis, præ stigiatis et enthusiasticis; de syncopizantibus sensus defectu agonizantibus, mente alienatis ex morbis longis seu vehementibus; de paraphreneticis, hypochondriacis et omnibus dilucida intervalla habentibus, necnon de furorem uterinum patientibus.

Hæc omnia percurrit et sensu orthodoxo resolvit doctissimus Zacchia, ut facile consulere quis potest in opere supra citato.

CAPUT XV

DE RESPONSABILITATE MORALI IN STATIBUS PSYCHOPATHICIS

Alibi (Lib. I), fusius exposita est natura actus moralis; sequentia tamen in præsente addere opportunum nobis visum est.

Apud omnes moralistas, moralitas exigit conformitatem vel disconformitatem cum regulis morum. Theologi maxime contendunt circa constitutivum essentiale moralitatis; num sit sola libertas, vel simul cum aliis elementis.

Quatenus ad nos attinet, in mentem revocare volumus per summa capita id, quod confessariorum interest ut facilius morales difficultates solvant.

Entitas moralis nititur quidem in libertate, sed in sola libertate minime reposita est. Primo, quia actio non libera, non est humana, sed mechanica; secundo, quia libertas formam suscipit a voluntate, et præterea conscientia essentialiter ingreditur veluti constitutivum moralitatis.

Moralitas non est simplex denominatio, quæ relationem tantum extrinsecam servat cum lege morali, sed habitudinem intrinsecam actus cum objecto significat (Card. Gotti).

Theologi communiter tenent, quod formale atque immediatum specificativum moralitatis actuum humanorum, non est lex cui subjiciuntur, sed objectus cum lege relationatus, quem intendunt. Omnis actus, docet sanctus Thomas, suam speciem habet ab objecto, actusque humanus, moralis cognominatus habet speciem ab objecto, cum principio actuum humanorum quod est ratio, relationato. Unde, si objectus actus aliquid includit, quod ordini rationis adæquatur, tunc actus erit bonus juxta ejus speciem: ex. gr. eleemosynam pauperibus erogare. Si autem includit aliquid

ordini rationis repugnans, actus erit malus juxta speciem ejus, uti furtum facere.

Itaque actus speciem sumit in ejus esse physico ab objecto, et in ejus esse morali, ex objecto a lege et rationis, prudentiæque dictamine computato.

Duplex præsertim datur regula moralitatis: remota quæ existit in mente divina, seu *lex æterna*; et altera proxima et intrinseca, quæ in homine residet, scilicet *recta ratio*, quæ ex lege æterna participat et illi subordinatur. Est communis inter moralistas.

Huic præclarissimæ doctrinæ per diametrum opponitur illa quæ hodiernis temporibus a positivistis proponitur.

«Culpa, ait Duprat (1), est quævis transgressio legis moralis; sed quemadmodum leges civiles clare ac distincte stipulantur; leges morales plerumque non determinantur.» «Culpa est, quævis actio opposita naturæ humanæ et evolutioni sociali; vitium est, idcirco, habitus quo efficiuntur actus ab studio psychosociologico hominis damnati.»

Præfata theoria præterquam quod est valde nubila, judicio individuali committit determinationem legis moralis; legem ultra humanam, determinationes voluntatis et actus rationis computantem, minime agnoscit.

Forel, in damnato opere sectario *La question sexuelle*, prorsus inficiatur libertatem, et determinismum mechanicum actionum humanarum profitetur.

Doctrina universim accepta responsabilitatis moralis, clare præelucet in prioribus capitibus. Difficultas oritur præcipue ex ejus applicatione ad status psychopathicos non semper enim metiri valet confessarius quantitatem et gradum cognitionis, voluntatis et libertatis, quæ in actibus ægrotorum revera existunt. Nihilominus fas est, aliquid absolute asserere quoad valorem moralem hujusmodi actuum, et aliquid sensu relativo.

Medicina legalis agit de responsabilitate actuum exteriorum; theologia moralis, vero, agit quoque de actibus internis, de cogitationibus, affectibus, etc.

(1) *La moral*, trad., Madrid.

Ut actus moralis homini plene imputari possit, testibus universis theologis, requiritur: 1.°, cognitio perfecta; 2.°, cognitio moralitatis actus, saltem confusa. Cognitio est perfecta, si homo plena utitur ratione. Quo magis intellectus in sua activitate impeditur, eo magis imputabilitas actionis minuitur; 3.°, perfectus voluntatis consensus.

In omnibus codicibus penalibus scripto constat, hominem minime esse responsabilem illarum actionum, quæ committuntur sub irresistibili influxu pathogenorum agentium vel in statu dementiæ. Hic articulus eodem robore responsabilitati morali applicatur.

Quæstio illa a determinismo prolata, juxta quam voluntatis determinationes sunt fatales effectus ex organizatione corporis et ex circunstantiis provenientes, practice anihilata manet in codicibus universis; nam hi veluti fundamentum absolutum omnis legislationis statuunt principium libertatis moralis.

Nonnulli olim nihil aliud admittebant, quam responsabilitatem et irresponsabilitatem; recentibus temporibus, vero, inconfesso est apud omnes, responsabilitatem gradus admittere, quemadmodum existunt quoque in actibus cognitionis et in exercitio voluntatis. Anima e corpore sejuncta, poterit quidem subjici aliis regulis et a legibus diversis regi; sed dum functiones ejus materia indigent ut exerceantur, seu clarius, dum actus ejus spirituales conditionati sint a centris nerveis, mensurare debemus intensitatem et comprehensionem actuum mentalium per facilitatem actus psychici et per gravitatem obstaculorum, quæ functionum exercitio opponuntur et eorum cursum torpescunt.

Existit igitur responsabilitas attenuata, quemadmodum existunt diversi gradus oppositionis vel impedimentorum.

Theologia moralis admittit *responsabilitatem* hominum mente sanorum, *irresponsabilitatem* dementium, et *semiresponsabilitatem* vel responsabilitatis *attenuationem*, quæ a majoribus vel minoribus gradibus psychismi superioris pendet. Hæc attenuatio respondet gradui respectivo integritatis facultatum intellectualium.

Præfata forma scientifica responsabilitatem dijudicandi, perfecte adæquatur spiritui moralis christianæ, quæ evidenter admittit gradus in distensione et evolutione facultatum nostrarum, et organicas ægritudines, quæ actionem liberæ voluntatis torpescunt.

Præter intelligentiam et liberam voluntatem, aliud admittitur elementum, quod abs dubio notabiliter influit in responsabilitatem; prædictum elementum vocatur *sensibilitas moralis.* Sequens exemplum nobis aperiet sensum ejus.

Agitur de juvene quodam, qui procul abest a familia; filius erat unicus et ideo heredes necessarius magni patrimonii. Nubere intendit cum puella cui nequissime fefellit; parentes ejus et parentes puellæ absolute connubio opponuntur. Ut propositum assequatur utrosque parentes occidere determinat. Quadam nocte se sistit in domo puellæ et pali impactis ictibus senes interfecit. Hac criminali operatione peracta, turpia atque horribilia explevit super corpus mulieris, et relictis cadaveribus in positione vitæ brutaliori e domo secessit.

Statim domum parentum petit, qui cum ancilla vitam degebant; ad lectum ancillæ vadit et eam strangulat; ad lectum parentum inmediate accedit et ferreo instrumento, in capite atque in ventre ita ictus ipsis præbet, ut cito moriantur. Succesive eos carpit et ad cenaculum cadavera perducit; ibi corpora modo indecoro sinit cum ancilla prorsus nuda in medio parentum. Secessit, ad populum unde discederat regressus est, et pauco tempore transacto, intentam hereditatem possidet; quamvis, ut ipse confessus est, paucis abhinc annis hereditate fruitus est, nam inter vinos et meretrices patrimonium dissipavit.

Auctor hujus horribilis tragœdiæ, intellectualiter inspectus est normalis, concipit enim et efformat projecta destructiva mire ordinata; plenam voluntatem crimina perpetrandi habet; sed deest ipsi sensibilitas moralis, quæ *ad conscientiam moralem* spectat; clarius; quadam anesthesia vel atrophia morali laborat.

Hic subjectus est profunde degeneratus, quod cogni-

tionem habet parricidii et triplicis homicidii; illud libere exequitur, id est, potuit crimina omittere; ipsi deerat nihilominus *sensus seu sensibilitas moralis*, vi cujus maxime attenuatur responsabilitas. Hæc species amentiæ moralis est gradus medius inter responsabilitatem absolutam et irresponsabilitatem. Firmiter tenemus, sensibilitatem moralem essentialiter etiam constituere conceptum moralem responsabilitatis.

A. Mairet in quodam recenti opere (1) vult elementa constitutiva responsabilitatis sint: conscientia valoris moralis actus, intelligentia, metus pœnæ, sensibilitas moralis, determinatio et voluntas. De singulis pauca agemus eruditionis causa.

Conscientia valoris moralis actus sibi vult cognitionem ac sensum habere de bonitate vel malitia actus; non cognitionem sensitivam tantum, sed cognitionem intellectualem.

Certe quidem cum ad ætatem discretionis pervenerit, sæpissime aprehendit, quin intime comprehendat, quia formæ intellectuales, seu ideæ mechanice reponuntur in deposito morali conscientiæ; ille vero, sive cognitionis initium sumat a semetipso sive ab alio (a parentibus, magistris, confessario), certum est, quod puer aprehendit malitiam actus in sua incipiente conscientia.

Intelligentia in activitate posita commonstrat valorem moralem actus. Semel cognitus hujusmodi valor, ipse perducit ad plurimas deductiones recordationum, perceptionum, emotionum et moralium sensuum. Intelligentia pariter promovet rationes, occasionesque, quæ majorem vel minorem colluctationem statuunt adversus malum; adeo ut intelligentia nobis ostendat rationes *pro* bono et *contra* bonum, necnon consequentias omnes moralis actus.

Timor pœnæ in se spectatus nullo donatur valore morali, nam hoc phænomenon sphœram puram sensationum non prætergreditur. Tamen, in homine et sub respectu præsenti attincta aliqua vi gaudet ratione emotionum quas provocat.

(1) *La responsabilité*, étude psycho-physiologique Paris, 1907.

Sensibilitas moralis secum fert acerbam vibrationem vel repulsionem erga malum. Quum agatur de incitatione ad peccatum, vel de executione actus immoralis, homicidii, adulterii, furti, etc., statim in spiritu sentitur quædam aversio et repulsio erga peccatum. Est naturæ moralis instinctus, qui, quidquid indecorum vel immorale est adversatur. Affectiones, emotiones ac sensus delicatiores sunt veluti complementum sensibilitatis moralis; bestialitas, sævitia, degradatio atque insensibilitas sunt stigmata *anesthesiæ moralis.*

Quamquam tempore hodierno incœquilibrium nervosum in dies magis augetur et gravius redditur in hominibus ægrotis propter corruptos mores et nimis excitatam sensibilitatem, verum tamen est, et de hoc omnes confessores monitos volumus, scientiam nostram magnas habere facultates et rationes ad reformandam et perficiendam humanam naturam. Quare culpabilitas non minuitur, sed contra, in pluribus degeneratis et inæquilibratis gravior fit, nam perturbationes voluntarie admittuntur et coluntur propter inordinationes morales, et sæpe maxima negligentia habetur in adhibendis remediis ad sanandum.

Confessor, igitur, distinguet, in praxi, omnes casus in quibus libertas minus datur et alios in quibus culpabilis negligentia facit ut animus responsabilis omnino maneat.

Applicationes. Subjecti clinici qui præsertim attinent ad theologiam moralem pathologicam sunt:

Paralytici generales qui distinguuntur per notabilem memoriæ et attentionis diminutionem, per graves intelligentiæ inordinationes et per emotionum exaggerationem. Est quædam dementia progressiva. Paralytici generales proni sunt ad executionem actuum contra bona propria et contra leges.

Diagnosis medico-moralis asserere patitur, quod valor actus respondet characteri symptomatum. Itaque, in prima ægritudinis periodo, perfacile reperitur gradus aliquis responsabilitatis. Quum infirmitas vero quamdam evolutionem acquisierit, tunc, abs dubio, infirmus est prorsus in-

culpabilis, præsertim in impulsionibus ad furtum et in exhibitionibus pornographicis.

In *maniis acutis* vel cum delirio, ordinario consulendum phrenocomio; maniæ causa obsessionum, dijudicandæ sunt juxta gravitatem et persistentiam ipsarum.

In *melancholicis* reperitur præcipue suicidium vel homicidium. Factores actionem criminosam determinantes sunt generatim obsessio, hallucinatio et pathologica emotio. Idem, servata proportione, asserendum est de *hypochondriacis*.

Delirium persecutionis eo ipso quod in gravibus hallucinationibus nititur a culpabilitate saltem gravi liberat.

In *epilepticis* distinguere oportet periodum tranquillitatis et periodum accessus seu crisis. In prima adest responsabilitas, quamvis satis attenuata; in altera vero, ægrotus est omnino irresponsabilis. Responsabilitas attenuata admittitur extra crises, propter irritabilitatem morbidam permanentem, quam accesus desinunt in infirmis.

In *statu hysterico* responsabilitas sequitur gradus infirmitatis, status mentalis enim hystericorum non semper et in omnibus idem reperitur. Ut vere dignosci possit perpendere debet confessarius influxum variabilitatis et instabilitatis characteris; emotivitatem voluntatis et propriæ conscientiæ confusionem.

Hysterismus generatim associatur nonnullis infirmitatibus magni momenti. Basis fallax hysterismi universim est hereditas pathologica. Confessarius dijudicet juxta facta particularia; generatim vero, saltem in crisi sunt irresponsabiles.

Suggestio efficere potest ut imago vel idea obsidens, adeo vitam psychologicam ægroti absorbeat, ut statum gravem pathologicum constituat: his in casibus definite resolvitur inculpabilitas subjecti.

Neurasthenia ex se, nihil aliud quam attenuationem inducit; *psychasthenia*, e contra, quandoque secum fert graves perturbationes ideationis, affectivitatisque et quasdam formas abuliæ. Confessarius diagnosim instituat præ oculis habens gravitatem vel levitatem symptomatum, quamvis ex se attentionem tantum inducit.

Status insufficientiæ mentalis et *status abuliei* plures habent formas, quæ dijudicari vel secerni debent juxta gravitatem elementorum materialium, seu clarius, juxta prædominium quod elementum sensitivum acquirit. Dantur revera individui in quibus fere nihil aliud operatur, quam imaginatio, appetitus sensitivus atque affectivitas, quibus in casibus standum est pro gravi attenuatione.

In quæstionibus ad sexualitatem pathologicam attingentibus, animadvertere oportet, quod in singulis ægrotis dantur distincti responsabilitatis gradus; responsabilitas, etenim *non mensuranda est ex parte agentis pathogeni tantum sed etiam ex parte resistentiæ subjecti.*

Hoc pariter accidit in omnibus ordinibus: in ordine organico, nonnulli infirmi fortiores præ cæteris sunt, seu melius resistunt ante eamdem intensitatem vel gravitatem offensionis, infectionis, intoxicationis et læsionis. Proprie sunt conditiones resistentiæ, quæ maxime spectari debent in diagnosi physica efformanda. Idem pariter accidit in ordine morali: eamdem intensitatem et gravitatem offensionis ex parte iræ, luxuriæ vel cujusvis passionis, nonnulli faciliter resistent, alii difficulter, alii demum sub influxu exiguæ tentationis vel minimæ offensionis, ob minimam vel minorem resistentiam, cito concidunt; quare? quoniam agens pathogenum efficaciter afficit locum minoris resistentiæ in subjecto. In diagnosi ac judicio morali attingendæ sunt conditiones, temperamentum et prædispositiones organicæ et psychicæ ex parte subjecti.

Sic facile adipiscetur rationem, qua hallucinatus persecutus hominem interfecit, quem credit esse suum persecutorem. Mysticus mortem sibi infert, quia putat Deum ita sibi præcepisse, velut sacrificium erga pacem humanitatis. Tentatio hic nullam invenit resistentiam in subjecto ob hallucinationem.

Tentatio sexualis in femina *ninphomania* et in viro *satiriasi* laborantibus minimam adinveniunt resistentiam, nam subjectus respective afficitur læsione organica gravi, cui respondet gravis irritatio permanens in organis sexualibus et in centris nerveis.

Dantur casus perversionum sexualium, ut supra in capitibus respectivis retulimus, in quibus perpluries agitur de ignarissimis, imbecillibus, amentibus, et exaggerate eroticis. In necropsiis plerumque repertæ sunt graves læsiones in encephalo hujusmodi ægrotorum.

Necrophilia seu violatio cadaverum, quamvis perversio cæteris abominabilior, existit nihilominus intra responsabilitatem. Juvenis quidam, valde eroticus, qui, anno decimo septimo currente, ex officio, integram noctem defunctos vigilabat, præsertim mulieres, dum domestici jacebant, ille libidinem explebat in corpora defunctarum feminarum. Erat profunde degeneratus, sed responsabilis culpabilitate attenuata.

In mente habeat confessarius, an subjectus intendat vel conetur contrarepræsentationes normales vel aliquam resistentiam acquirere; an conscientia obnubilatione laboret et mechanismus psychicus nimiam perturbationem patiatur, ut ne quidem ingredi valeant elementa coadjuvantia et resistentiam constituentia.

Ut clarius eluceat veritas assertionum nostrarum, sequentes paragraphos transcribere volumus ex probatissimo Noldin.

Agens auctor obiter de *ægrotationibus animi* inter alia ait ad rem: «Anteactis temporibus de statu mentis eorum, qui scelus patraverant, raro institutum est examen, cum plenum rationis usum proindeque perfectam criminis imputabilitatem in dubium non vocarent, nisi reos plane insanire deprehendissent. Nostro autem tempore de statu mentis eorum, qui criminis rei sunt, diligens examen instituitur. Et recte quidem, cum agenti crimen imputari non possit, qui plene sui compos non sit.»

Deinde Noldin reprobat doctrinam eorum, qui delicta omnibus eodem gradu imputanda esse docent, et eorum, qui cum recenti psychiatria affirmant, delicta nulli eorum, qui affectam animi dispositionem habent, imputari posse. Vera sententia horum imputabilitatem nec aufert nec sanis æquiparat; gradum ejus determinare in particulari casu, cum impossibile frequenter sit, Dei judicio committendum est.

«Animi *ægrotatio* adesse dicitur, cum activitates mentis et voluntatis habitualiter male affectæ sunt. Ex principiis psychologicis fieri nequit, ut intellectus et voluntas in se aliquo morbo laborent, cum sint potentiæ mere spirituales, quæ morbi sunt incapaces; in specie voluntas aliam ægritudinem in se ipsa habere nequit, quam pravos habitus, qui liberam determinationem minuunt quidem, sed non auferunt. Attamen cum potentiæ spirituales in suis actibus externe dependeant a sensibus, præsertim vero a phantasia, ab appetitu sensitivo atque ab illa parte cerebri, quæ functionibus harum potentiarum inservit, si potentiæ sensitivæ male affectæ sint, per redundantiam etiam intellectus et voluntas in suis functionibus turbantur.

«Mente ægris, utpote usu libertatis destitutis, actiones morales imputari non posse, res est manifesta. Ipsi vi et propensione ineluctabili ad pravas actiones (furta, incendia, homicidia, luxuriam) committendas impelluntur, in quibus ob mentis ægrotationem et defectum libertatis a peccato immunes sunt.»

Confessarius ne aperte ægrotis significet, quod probabiliter immunes sint a peccato, tum quia minime certo constat, tum quia hortari eos debet ut pravis inclinationibus resistant et vim concupiscentiæ saltem minuant, scribit Génicot.

Denique, theologi communiter asserunt magnum esse influxum læsionis somaticæ erga perturbationes animi, ut perbelle menimit præclarus Noldin.

«Quamvis peccata carnalia, inquit, sæpe causa sint ægrotationum animi, notari tamen debet etiam ex animi seu ex cerebri et nervorum morbis non raro peccata carnis, præsertim perversitates sexuales oriri. Hoc modo explicatur, cur quandoque homines, qui hucusque pie et caste vixerant, repente peccatis carnis et fædis perversitatibus se tradant. Eorum defectus morales non conscientiæ, sed potius morbo per infortunium contracto tribuendi sunt.

«Animarum pastoribus et confessariis nosse oportet, quænam sint animi ægrotationes, quibus indiciis cognoscantur,

num actiones morales hujusmodi ægrotis imputandæ sint et quomodo ipsi ægroti in cura animarum tractandi sint.»

Quod auctor suadet, in præsenti studio, pudicis verbis nos conati sumus perficere et confessariis tutam doctrinam prudentiaque consilia tradere.

A. M. D. G.

EXPLICATIO VOCABULORUM

QUORUM COMPREHENSIO DIFFICILIS REDDITUR

Ablepsia: Est quædam cecitas vel obcecatio spiritus, vi cujus homo, veritates visui ipsius perlucide sese offerentes minime percipit.

Abscessus: Collectio impura, vulgo *pus* dicta, ex textilibus affinibus destructis vel compressis efformata.

Abscessus cerebralis: Est quædam puris congeries in quibusdam locis cerebri efformata. In periodo *terminali*, vel in encephaliti acuta existunt accidentia confusionis mentalis, delirium onericum atque hallucinationes probabiliter ex toxiinfectionibus ortæ.

Absynthismus: Est intoxicatio ex abusu absynthii orta. Absynthismus *acutus*, utpote activissimus, persæpe mortem infert. Absynthismus *chronicus* fere confunditur cum alcoolismo chronico.

Abulia: Est perturbatio mentalis, quæ secum fert absentiam vel diminutionem voluntatis.

Accessus: Iteratio periodica alicujus phænomeni morbosi, quod subito apparet, et brevem, sed violentam producit perturbationem salutis.

Acetonemia: Est congeries implicationum, quæ superveniunt in cursu diabetis, propter retentionem quorumdam elementorum toxicorum.

Acetonuria: Eliminatio acetonæ per urinam. Accidit plerumque in diabete.

Acromatina: Substantia liquida, quæ difficiliter colorem sumit et simul cum cromatina nucleum cellulæ constituit.

Acromegalia: Hæc ægritudo posita est in hypertrofia independenti, non congenita, extremitatum superiorum, inferiorum ac extremitatis cephalicæ.

Activitatis perturbatio: Sita est in exaggeratione reflexuum, hyperexcitatione, depressione atque impulsione, quum ad characteres pathologicos pervenitur.

Adinamia: Est quædam depressio phisica et moralis cum debilitatione motuum muscularium.

Ærotherapia: Curatio per aërem.

Ætiologia: Studium circa causas infirmitatum.

Affectio: Processus morbosus in suis actualibus manifestationibus spectatus, abstractione facta de causis ejus.

Agitans (paralysis): Est affectio essentialiter characterizata per specialem tremorem, præsertim in digitis, et per rigidam musculorum positionem.

Albuminuria: Præsentia albuminæ in urina.

Algia: Dolor alicujus organi vel regionis absque læsione.

Alienatio mentalis: Nomen genericum cunctis formis dementiæ tributum.

Amenorrea: Absentia vel diminutio fluxus menstrualis extra graviditatem.
Amnesia: Amissio totalis vel partialis memoriæ.
Anaphrodisia: Absentia vel diminutio sensibilitatis genesicæ.
Anatomia pathologica: Tractatus de modificationibus structuralibus organorum, quæ ex actionibus et reactionibus morbosis gignuntur.
Anencephalia: Privatio cerebri ac medullæ spinalis. Craneum et canalis vertebralis aperti existunt in tota eorum extensione.
Anesthesia: Privatio sensibilitatis generalis vel localis; vel provenit ex statu morboso vel fit per elementa phisicochemica.
Anorchidia: Absentia congenita testiculorum seu glandularum spermaticarum vel alicujus partis apparatus seminalis.
Anorexia: Amissio vel diminutio appetitus.
Anthropometria: Mensuratio diversarum corporis partium.
Antiflogisticus: Agens qui operatur contra inflammationem.
Antisepticus: Substantia quæ microorganismos destruit vel eorum evolutionem impedit.
Antitermicum: Medicamentum quod minuit temperaturam.
Apepsia: Perturbatio processus chemici digestionis.
Aphasia: Defectus adaptationis verbi erga ideam; sive agatur de transmissione ideæ sive de sumptione. Sibi vult, pariter amissionem memoriæ signorum, quæ inserviunt ad communicandum cum aliis in societate.
Aphrodisia: Morbosa exaggeratio appetituum sexualium.
Apoplejia: Suspensio subita cunctarum cerebri functionum ob hemorragiam cerebralem; vocatur quoque hemorragia parenquimatosa.
Apraxia: Amissio comprehensionis objectorum usualium: confusio inter catinum et mensam.
Arteritis: Læsio arterialis ex inflammatione orta.
Aspermatismus: Impossibilitas vel difficultas ejaculationis.
Aspermia: Absentia completa nemaspermatum in spermate.
Astenia: Depressio status generalis, quæ multiples insufficientias functionales secum fert.
Atavismus: Hic sumitur pro hereditate avorum et proavorum.
Ataxia: Incoordinatio motrix in motibus voluntariis.
Atonia: Diminutio tonicitatis normalis alicujus organi contractilis.
Atrophia: Defectus nutritionis organorum et textuum.
Autoinfectio: Infectio producta a microorganismis, qui in propriis cavitatibus naturalibus inveniuntur.
Autointoxicatio: Intoxicatio producta ab elementis quæ gignuntur et evolvuntur in proprio organismo.
Automatismus: Actio effecta absque voluntatis participatione.
Autosuggestio: Suggestio spontanee orta præter omnem influxum exterum.
Azoospermia: Absentia nemaspermatum in semine.

Bacillus: Microbium formam baculi habens.
Bacteria: Substantia unicellularis clorofila destituta.
Balanitis: Inflammatio mucosæ glandinis.
Balanopostitis: Inflammatio glandinis et præputii.
Balneotherapia: Curatio per balneorum applicationem.
Biologia: Tractatus de vita et phænomenis ejus.
Blastema: Substantia semi-liquida inter elementa cellularia textuum sita.

Blastodermus: Membrana efformata per juxtapositionem cellularum, quæ a segmentatione ovuli fæcundati producitur.
Blenorragia: Ægritudo infectiva cujus agens pathogenus est gonococcus.
Blenorrea: Omnis effusio chronica mocopus.
Bocius: Tumor tiroideus benignus.

Calculus: Concretio petrea ex salis organicis vel inorganicis efformata in receptaculis glandularibus vel in canalibus excretoribus.
Caquexia: Quævis perturbatio profunda cunctarum organismi functionum.
Catabolismus: Transformatio in energiam elementorum materialium a textilibus assimilatorum.
Cellula et cuncta ejus elementa in proprio loco explicantur.
Cellulifugax: A cellula elongatur.
Cellulipetens: Ad cellulam dirigitur.
Cellulitis: Inflammatio difusa textus cellularis.
Cenesthesia: Est quædam indeterminata cognitio, quam independenter a concursu sensuum homo possidet relate ad propriam existentiam.
Cenesthopathia: Est perturbatio cenesthesiæ.
Cephalalgia: Quævis affectio dolorosa in capite.
Cephalea: Dolor acerbus in capite.
Cerebrasthenia: Neurasthenia cerebralis: forma clinica neurastheniæ in qua prævalent cephalea, insomnium, depressio facultatum mentalium, phobiæ et abulia.
Circularis (dementia): Forma specialis dementiæ in qua periodi maniæ et melancholiæ absque intervalo lucido se succedunt.
Cistitis: Inflammatio acuta vel chronica vexicæ.
Citologia: Tractatus de cellula, quoad intimam ejus constitutionem, morfologiam et evolutionem spectata.
Claustrophobia: Angor specialis a quibusdam neuropathicis expertus in locis clausis.
Clinica: Series cognitionum, quæ circa infirmos acquiruntur per directam phænomenorum observationem.
Clinomania: Exaggerata pronitas ad jacendum in lecto.
Clinotherapia: Methodus medendi per requiem in lecto.
Coma: Status morbosus in quo amittitur intelligentia, sensibilitas ac motilitas totaliter vel parcialiter.
Confusio mentalis: Status psychicus in quo absunt ideæ, nequit spiritus sensationes ordinare ac distinguere et magnus torpor intellectualis adest.
Corea mentalis: Ægritudo infantilis, vi cujus, puer magna instabilitate mentali ac impossibilitate attentionem figendi laborat.
Cromatina est substantia valde affinis materiis colorantibus: adest præsertim in nucleo cellulari.
Cromatologia: Illa pars opticæ in qua agitur de coloribus.
Cromatolysis: Solutio et desintegratio cromatinæ nuclearis; vel etiam, disgregatio quorumdam corpusculorum colorabilium substantiæ nervosæ.

Dacnomania: Impulsio vi cujus quidam degenerati ad obmordendum ducuntur.
Degeneratio: Alteratio organica alicujus textilis vel organi cum functionum perturbatione. Vera degeneratio producitur ob mutationem chemicam in textilibus. Vocatur quoque degeneratio quævis gravis perturbatio phisica vel mentalis.

Degradatio: Est degeneratio moralis, intellectualis et phisica, quatenus mutatur gradus in eodem genere.
Deliquium: Syncope vel sensuum defectio animique destitutio.
Delirium: Perturbatio facultatum mentalium cum vel absque alteratione facultatum moralium.
Dementia: Status alienationis in quo absunt totaliter vel partialiter intelligentia, memoria atque voluntas.
Dementia vesanica: Est nomen genericum quo distinguuntur status debilitationis permanentis ac progresivæ facultatum intellectualium, moralium et affectivarum.
Depersonalizatio: Amissio sensus propriæ personalitatis.
Dermatitis vel dermitis: Inflammatio pellis.
Diagnosis: Vera infirmitatis cognitio ob signorum observationem acquisita.
Diastole: Dilatatio cordis vel arteriarum in actu afluxus sanguinei.
Didimitis: Inflammatio testis.
Didimus: Testis.
Dismenorrea: Menstruatio difficilis vel dolorosa.
Dispareunia: Acerbus dolor quem patitur mulier dum coitus perficitur absque vulvæ contractione.
Dotinenteritis: Febris typhoidea.
Dynamicus: Quod refertur ad vim vel ad ejus manifestationem.
Dynamogenia: Exaltatio functionis alicujus organi sub influxu cujusvis excitationis.

Eclampsia: Est affectio quæ secum fert convulsiones tonicas, clonicas necnon intelligentiæ sensibilitatisque suspensionem. Strictam servat analogiam cum epilepsia.
Ecolalia: Quædam morbosa impulsio quorumdam degeneratorum, vi cujus mechanice repetuntur verba coram illis prolata.
Ecomania: Inordinatio mentalis in qua revelatur violentus status ac pessimus character infirmi erga proprios domesticos.
Ecomatismus: Inconsciens repetitio alicujus actus aut verbi, intra somnum hypnoticum experimentaliter provocata.
Economia (animalis): Ordo functionalis apparatuum organicorum et legum physiologicarum in corporibus viventibus.
Ectodermus: Folium externum blastodermi. Destinatur ad efformationem revestimenti epidermici et nervosi systematis.
Eczema: Læsio cutanea in qua apparent quædam vesiculæ ex quibus fluit liquidus serosus.
Edema: Infiltratio serosa textilium cerebri.
Emenagogus: Agens therapeuticus qui fluxum menstruum provocat atque ordinat.
Empirismus: Medicina in experientia innita.
Encephalalgia: Dolor intensus, gravativus ac profundus, quem experitur in capite quicumque syphilide cerebrali laborat.
Encephalitis: Inflammatio encephalica.
Encephalus: Portio systematis nervosi centralis intra craneum jacens, quæ complectitur cerebrum, cerebellum, pontem Varolii et medullam oblongam seu bulbum.
Endometritis: Inflammatio mucosæ uterinæ.
Eretismus: Morbosum incrementum activitatis alicujus organi.
Esmegma: Materia alba saponi similis, quæ invenitur in sulco balanopræputiali in homine, et inter clytoridem et parva labia in muliere.
Espasmophilia: Est prædispositio quædam hereditaria nonnullorum

a parentibus neuropatis accepta, vi cujus individuus affectus convulsiones patitur.

Etnicus: Character proprius stirpis.

Extraphysiologicus (status): Juxta Grasset, amplectitur statum suggestionis, somni hypnotici, automatismi ambulatorii, spiritismi scientifici, et cunctos illos status in quibus nec reperitur vera perturbatio pathologica nec status perfecte normalis.

Febrifugax: Medicamentum quod febrim intermittentem adversatur.

Fecundatio artificialis: Injectio seminis intra uterum ope instrumenti phisici.

Ginecologia: Tractatus de specialibus mulierum infirmitatibus.

Ginephobia: Anxiosa apprehensio, quam nonnulli neuropathici experiuntur in mulierum præsentia.

Glicemia: Normalis existentia glicosæ in sanguine.

Gonococcus: Microbium specificum blenorragiæ.

Graphorrea: Irresistibilis impulsio ad scribendum, quæ reperitur in quibusdam alienatis.

Gumma: Productio morbosa, quæ adest in periodo tertiaria syphilidis per textilium centralium destructionem caracterizata.

Hallucinatio: Intima convictio, vi cujus, ægrotus autumat se percipere objectum quin revera existat.

Hebephrenia: Est quædam perturbatio mentalis quæ supervenit in periodo pubertatis.

Hebetudo: Est status morbosus particularis in quo amittitur exercitium mentalium facultatum, sed conservatur usus sensuum.

Hyperestesia: Est exaggeratio sensibilitatis.

Hypertermia: Ascensus anormalis temperaturæ.

Hypotermia: Descensus anormalis temperaturæ.

Hystologia: Est scientia quæ agit de textilibus corporis.

Kleptomania: Specialis impulsio ad furtum.

Logorrea: Est irresistibilis impulsio quorumdam alienatorum ad loquendum.

Myelasthenia: Est neurasthenia spinalis.

Neoplasma: Est testis morbosus a processu neoplasico productus, id est, a processu novæ formationis.

Periostosis: Est quædam periostii tumefactio inflammatoria.

Phobia: Est timor morbosus persistens.

Physiologia: Est scientia quæ agit de functionibus corporis.

Physiologia pathologica: Est studium circa reactiones morbosas in organismo existentes sub causarum pathogenarum influxu.

Physiopathologia: Agit de functionibus hominis in statu normali et in statu pathologico.

Psychismus inferior: Amplectitur ea quæ ad actus automaticos atque inconscientes spectant.

Psychismus superior: Amplectitur ea omnia quæ ad actus voluntarios et conscientes refertur.

Psychopata: Est ægrotus psychicus.

Psychopathologia: Scientia quæ agit de infirmitatibus psychicis vel mentalibus.

Psychosis polineuritica: Est quædam mentalis perturbatio ex læsione plurium nervorum orta.
Psychotherapia: Est curatio mediis psychicis tentata.

Saprophitismus: Est congeries microbiorum, quæ in organismo vivo evolvuntur ac nutriuntur ex substantiis putrefactis. Pluries acquirunt characteres pathogenos.
Sclerosis: Induratio pathologica alicujus organi vel textilis ab hypertrophia textus conjunctivi producta. Vocatur *sclerosis in placas* a Charcot et Vulpian, quando agitur de affectione centrorum nerveorum in qua apparent exteræ in superficie circumvolutionum medullæ aliarumque regionum, quædam maculæ, quæ veluti signa habentur plurium affectionum nervearum.
Serodiagnosticum: Sibi vult applicationem phænomeni aglutinationis microbiorum ad quarumdam infirmitatum diagnosticum.
Sinergia: Est associatio plurium corporis organorum ad functionem aliquam perficiendam.
Somaticum: Dicitur quod refertur ad corpus; id est, attingit elementum phisicum hominis.
Spermatocistitis: Inflammatio vesicularum seminalium.
Stigmata: Quædam symptomata minoris momenti.

Trophicus: Quod refertur ad nutritionem textilium in organismo.

Vesania: Syndroma dementiæ, seu associatio quorumdam symptomatum, quæ simul dantur quoad numerum et quoad momentum diagnostici in determinatis infirmitatibus.

INDEX ALPHABETICUS AUCTORUM

QUORUM OPERA CITANTUR

ACHARD: *Séméiologie nerveuse;* Paris, 1911.
ACHARD ET LOEPER: *Précis d'Anatomie pathologique;* Paris, 1908.
ADAMUS NIETZKI: *Elementa Pathologiæ universæ,* t. I; Lausannæ in Helvetia, 1784.
ALBERTUS MAGNUS (Sanctus): *Opera Omnia;* Parisiis, MDCCCIC.
ALEXANDER AB HALES: *Tabula quæstionum secundæ partis Summæ Magistri Alexandri de Hales;* MCCCCCXVI.
ALEXANDER PARIS: *Les troubles de l'intelligence, de la sensibilité ou de la volonté chez les femmes enceintes;* Paris, 1911.
ANDRÉ-THOMAS: *Psychothérapie;* Paris, 1912.
ANGLADE: *Étiologie générale des affections mentales;* in *Traité de Pathologie mentale,* auctore Ballet.
— *Manie,* in Ballet.
— *Mélancolie,* in Ballet.
— *Confusion mentale,* in Ballet.
ANGUERA DE SOJO: *Compendio de Medicina legal: Adiciones;* Barcelona, 1912; duo volumina.
ANTONELLI: *Medicina pastoralis;* Roma, 1906.
ARNAUD: *Psychoses constitutionnelles,* in Ballet.
ASTRUC: *Tractatus de morbis mulierum;* Venetiis, CIↃIↃCCLXIII.
AUVARD: *Menstruación y fecundación;* Madrid, 1912.

BAILLARGER: *Revue de Psychiatrie et de Psychologie expérimentale,* nov. et déc. 1911.
BAIN: *Les sens et l'intelligence;* Paris, 1874.
BALL: *La folie érotique;* Paris, 1893.
BALLET: *Traité de Pathologie mentale;* Paris, 1903.
BANDELIER Y ROEPKE: *Clínica de la tuberculosis.* Traductio; Madrid, 1912.
BARBENS: *El cerebro, los nervios y el alma;* Barcelona, 1912.
BAUAUD: *La neurasthénie génitale féménine;* Paris, 1906.
BECHTEREW: *Troubles psychiques dans les maladies nerveuses organiques;* in *Traité international de Psychologie pathologique,* t. II.
BELL: *Trattato della gonorrea virulente e della lue venerea;* Venezia, 1795.
BENON (R.) DE NANTES: *XXII Congreso de Alienistas franceses.*
BERGERET: *Des fraudes dans l'accomplissement des fonctions génératrices;* Paris, 1910.
BERNARD (Cl.): *Introduction à l'étude de la Médecine expérimentale;* Paris, 1908.
— *Leçons de Pathologie expérimentale;* Paris, 1880.
— *Leçons de Physiologie expérimentale appliquée à la Médecine;* Paris, 1855.
— *Leçons sur la Physiologie et la Pathologie du système nerveux;* Paris, 1858.
BERTIER: *Des névroses menstruelles;* Paris, 1874.
BEZANÇON: *Elementos de microbiología clínica;* Madrid, 1912.
BILLINGS (L.) ET SHEPARD (J.): *Psychological Review,* mars 1910 - mai 1911.
BINET: *L'année psychologique,* Paris, 1910.
BING (Robert): *Diagnóstico topográfico de las enfermedades del cerebro y de la medula;* Calleja, Madrid.
BOMPARDI: *Revue mensuelle de gynécologie,* juin 1910.
BONAVENTURA (Sanctus): *Opera Omnia;* Quaracchi, 1885.
BONCOUR (P.): *Le Progrès Médical,* 24 décembre 1910.
BONNET (M.): *Sociedad clínica de medicina legal de París,* junio de 1912.
BOSSI: *Société obstétricale de France,* octobre 1911.

Boyer: *Thèse de Montpellier*, 1880.
Brachet: *Traité complet de l'hypocondrie;* 1844.
Brierre de Boismont: *De la menstruation;* Paris, 1842.

Cajal: *Manual de Histología normal;* Madrid, 1905.
— *Textura del sistema nervioso del hombre y de los vertebrados;* Madrid, 1899.
— *Degeneración y regeneración del sistema nervioso;* Madrid, 1914.
Cantarell: *Las psiconeurosis y su cura moral;* Barcelona, 1912.
Cardenal: *Manual práctico de cirugía antiséptica;* Barcelona.
Castelein: *Psychologie;* Bruxelles, 1905.
Ceni (Carlo): *Rivista sperimentale di freniatria*, 1910.
Claparede: *La asociación de las ideas;* Madrid, 1907.
Claude et Camus: *Précis de Pathologie générale;* Paris, 1909.
Colin: *État mental des hystériques*, in Ballet.
Comby: *El raquitismo;* Barcelona.
Cornil et Ranvier: *Manuel d'Histologie pathologique;* Paris, 1901-2-7-12.
Corral y Maestro: *Elementos de Patología general;* Valladolid, 1912.
Couchoud: *L'asthénie primitive;* Thèse de Paris, 1911.
Courbon (P.): *XXII Congreso de Alienistas franceses.*
Cowers: *Enfermedades del sistema nervioso;* Espasa, Barcelona.
Cros (A.): *Les fonctions supérieures du système nerveux;* Paris, 1875.
Crouzon (O.): *Enciclopedia de ciencias médicas*, t. X; Calleja, Madrid.
Cullerre: *Las fronteras de la locura;* Madrid, 1912.

Charcot: *Clinique des maladies du système nerveux;* Paris, 1892.
Chaslin: *Éléments de Séméiologie et clinique mentales;* Paris, 1912.
Cheves West Perky: *The American Journal of Psycology*, avril 1910-1911.

Dallemagne: *Physiologie de la volonté;* Paris.
— *Pathologie de la volonté;* Paris.
Danville: *La psychologie de l'amour;* Paris, 1907.
Dauby: *Thèse de Paris*, 1866.
Debierre (Ch.): *Le cerceau et la moelle épinière;* Paris, 1907.
Déjerine: *Séméiologie des affections du système nerveux;* Paris, 1914.
Dide: *XVI Congreso de alienistas y neurólogos;* Lille, agosto, 1906.
Dromard et Levassort: *L'amnésie, au point de vue séméiologique et médico-legal;* Paris, 1907.
Duclaux: *Annales de l'Institut Pasteur*, novembre 1902.
Ducoste: *Le crétinisme;* in *Revue de Psychiatrie et de Psychologie expérimentale*, novembre et décembre 1911.
Dufour: *Semeiología de las enfermedades del sistema nervioso;* Calleja, Madrid.
Dumas y Delmas: *Sociedad de Psiquiatria de París*, 16 de febrero de 1911.
Dupré: *Psychopathies organiques*, in Ballet.
Dutil: *Neurasthénie*, in Ballet.

Ellis (Havellock): *La pudeur, la périodicité sexuelle, l'autoérotisme;* Paris, 1912.
— *L'inversion sexuelle;* Paris, 1909.
— *L'impulsion sexuelle;* Paris, 1911.
— *La selection sexuelle chez l'homme;* Paris, 1912.
Emery (E.): *Tratamiento de la sífilis;* Madrid, 1912.
Emminghaus: *Idiotismo ed imbecillità*, in Maschka.
Esquirol: *Des maladies mentales*, t. I; 1838.
Etme Courot: *Thèse de Paris.*

Fajarnés: *Psicología;* Zaragoza, 1889.
— *La psicología celular;* Zaragoza, 1884.
Falret: *De l'état mental des épileptiques* (*Arch. gén. de méd.*, 1860).
Famenne: *XXI Congreso de alienistas franceses;* Amiens, agosto de 1911.
Fargas: *Tratado de Ginecología;* Barcelona, 1910.
Farges: *Le cerveau, l'âme et les facultés;* Paris, 1904.
Feindel: *Enciclopedia de ciencias médicas*, t. III; Madrid.
Féré: *L'instinct sexuel;* Paris, 1911.
— *Les épilepsies et les épileptiques;* Paris, 1890.
— *La pathologie des émotions;* Paris, 1892.
Ferriere (E.): *La vida y el alma;* Madrid, 1911.
Forel: *La cuestión sexual;* Madrid, 1912.

FOURNIER: *L'Onanisme;* Paris, 1911.
FUHRMANN: *Diagnosi e prognosi delle malattie mentali;* Milano, 1908.
FURSAC Y LEROY: *Sociedad clínica de Medicina mental de París,* enero de 1912.

GARBAU: *Les desviations morbides du sentiment relligieux au origine et au cours de la psychasthénie;* Paris, 1911.
GARNIER: *Paris Médical,* décembre 1911.
— *Les perversions sexuelles obsédantes et impulsives au point de vue médico-légal.* Congrès International de Médecine, 1900.
GAUSSEN: *La mélancolie présénile;* Paris, 1911.
GAUSTER: *Degenerazioni psichiche,* in Maschka.
GEMELLI: *L'enigma de la vita, ed i nuovi orizzonti della Biologia;* Firenze, 1910.
— *Non mœcaberis;* Florentiæ, 1911.
— *De scrupulis;* Florentiæ, 1913.
GENTIL: *Rivista italiana di Neuropatologia,* 1910.
GEORGES HAYEM ET GASTON LION: *Maladies de l'Estomac;* Paris, 1913.
GEORGES IMBERT: *Les psychoses d'origine digestive;* Paris, 1913.
GLEY: *Études de Psychologie, physiologique et pathologique;* Paris, 1903.
GÓMEZ OCAÑA: *Fisiología humana;* Madrid, 1904.
GONZÁLEZ BLANCO (E.): *El materialismo combatido en sus principios cosmológicos y psicológicos;* Madrid, 1906.
GOTTI (Cardenalis): *Theologia scholastica dogmatica;* Venetiis, 1750.
GRASSET: *La responsabilité des criminels;* Paris, 1911.
— *Tratado de fisiopatología clínica;* Salvat, Barcelona.
— *Diagnostic des maladies de l'encéphale;* Paris, 1908.
— *Introduction physiologique à l'étude de la philosophie;* Paris, 1908.
— *El ocultismo de ayer y de hoy;* Madrid, 1909.
GUIARD: *Les urétrites chroniques chez l'homme;* Paris, 1898.
GUISLAIN: *Leçons sur les phrénopathies,* t. II; 1852.
GURRIERI (R.): *Paris Médical,* avril 1911.

HALBERSTARD ÉT ARSIMOLES: *Revue de Psychiatrie,* février 1911.
HAMEL (J.): *Revue de Psychiatrie,* janvier 1911.
HANOT (V.) ET MEUNIER (H.): *Icon. de La Salpêtrière,* 1896.
— *Gomme syphilitique double de la moelle épinière.*
HAURY: *Les anormaux et les malades mentaux au régiment;* Paris, 1913.
HERICOURT: *La higiene moderna;* Madrid, 1908.
HOFFDING: *Bosquejo de una psicología;* Madrid, 1904.
HOMERUS: *Odiss.* 7.
HUTINEL: *Maladies des méninges;* Paris, 1912.
— *Journal de Médecine et de Chirurgie pratiques,* 10 juillet 1910.

JAKOB: *Atlas-Manuel du système nerveux;* Paris, 1900.
JAMES (W.): *La théorie de l'émotion;* Paris, 1910.
JANET: *L'état mental des hystériques;* Paris, 1911.
— *L'automatisme psychologique;* Paris, 1910.
— *Les névroses;* Paris, 1910.

KIRN: *Le psicosi semplici,* in Maschka.
KRAEPELIN: *Trattato di psichiatria;* Milano; trad. de la VII edizione.
— *Introducción a la clínica psiquiátrica;* Calleja, Madrid.
KRAFFT-EBING: *Psychopatia sexualis;* Paris, 1895.
— *Follia alcoolica, epilepsia, isterismo,* etc., in Maschka.
— *Médecine légale des aliénés;* Toulouse, 1911.
— *Sulle perversioni sessuali;* in *Clinica contemporanea, Psichiatria;* Milano, 1908.
— *Manuel de psychopathologie forense;* citatus a L. Schlager.
KREHL: *Tratado de fisiología patológica;* Salvat, Barcelona.

LACASAGNE: *Compendio de medicina legal;* Barcelona, 1912.
LAGRANGE (Ferdinand): *La fatigue et le repos;* Paris, 1912.
LAIGNEL-LAVASTINE: *Annales d'hygiène,* janvier 1912.
LALLEMAND: *Des pertes séminales involontaires;* Paris, 1836.
LAMY (H.): *La sífilis de los centros nerviosos;* Madrid, 1912.
— *Contribution à l'étude des localisations médullaires de la syphilis;* in *Progrès Médical,* 1894.
LANDOIS: *Tratado elemental de fisiología humana;* Madrid, 1894.

LEGUEU: *Tratado médico-quirúrgico de las vías urinarias;* Barcelona.
LEGUEUX: *Journal de Médecine interne,* 1910, n.° 27.
LÉPINE: *La diabète sucrée;* Paris, 1909.
LETAMENDI: *Curso de Patología general;* Madrid, 1883.
LEVANDOWSKY: *Neurología práctica para médicos generales.* Traductio; Madrid, 1913.
LEVEN: *Estomac et cerveau;* 1884.
LITTRÉ: *Dictionnaire de médecine, de chirurgie, de pharmacie,* etc.; Paris, 1908.
LOISEAU: *Thèse de Paris,* 1856.
LOMBROSO: *L'homme de génie;* París, 1889.
— *L'uomo alienato.* Riordinato dalla Dott.ssa Gina Lombroso; Roma, 1913.
LORRY: *De præcipuis morborum mutationibus et conversionibus, tentamen medicum;* Parisiis, 1784.
LUCIANI: *Tratado didáctico de Fisiología humana.* Traductio; Barcelona.
LUDOVICO SCHLAGER: *Sull'importanza e sui compiti della legislazione dei pazzi nello Stato;* in *Tractatu...* auctore Maschka.

MAGNAN Y POZZI: *Academia de Medicina de París,* 22 de febrero de 1911.
MAGNAN Y SÉRIEUX: *La parálisis general;* Madrid, 1912.
MAIRET: *Aliénation mentale syphilitique;* Paris, 1893.
MAIRET ET ÉUZIÉRE: *Les invalides moraux;* Montpellier, 1910.
— *La responsabilité;* Paris, 1907.
MANTEGAZZA: *Fisiología del dolore.*
MARBURG (Otto): *Relaciones existentes entre las glándulas vasculares y el sistema nervioso;* in *Anuario de ciencias médicas,* 1912.
MARC: *De la folie considerée,* etc., t. II; Paris, 1840.
MARCHAND: *Manuel de Neurologie;* Paris, 1909.
MARIE (A.): *La demencia;* Madrid, 1908.
— *Psychoses toxiques d'origine exogène;* 1911.
MARRO: *Annali di Freniatria,* 1911.
— *Évolution psychologique humaine à l'époque pubère;* in *Traité international.*
MARSILII FICINI FLORENTINI: *De vita libri tres;* Basileæ, 1549.
MARTINI (G.): *Rivista di Patologia nervosa e mentale,* juin 1911.
— *Giornali di Psichiatria clinica e technica manicomiale,* 1910.
MASCHKA: *Trattato di Medicina legale;* Napoli, 1889.
MAUDSLEY: *La pathologie de l'esprit;* Paris, 1883.
— *Physiologie de l'esprit;* Paris, 1879.
MERCIER: *Psicología;* Madrid.
MOREL: *Traité des maladies mentales;* Paris.
MOUTIER: *Enciclopedia...,* t. II.

NAYRAC: *Physiologie et psychologie de l'attention;* Paris, 1906.
NIMIER: *Blessures du crâne et de l'encéphale par coup de feu;* Paris, 1904.
NOLDIN: *Summa theologiæ moralis;* Œniponte, 1912.

OLIVIER ET BOIDARD: *Gazette des Hôpitaux,* février 1911.
OPPENHEIM: *Tratado de las enfermedades nerviosas;* Barcelona.

PARKYN: *Autosugestión;* Bruselas, 1912.
PATER (H.): *Bulletin général de thérapeutique,* novembre 1911.
PAULI ZACCHIÆ: *Quæstiones medico-legales;* Venetiis, 1789.
PICQUÉ (Lucien): *Psychopaties et chirurgie; doctrines et faits;* Paris, 1912.
— *Sociedad clínica de Medicina mental,* 20 de marzo de 1911.
PINEL: *Institutions de Médecine pratique;* Paris, 1786.
— *Traité médico-philosophique sur l'aliénation mentale;* Paris, 1809.
PITRES Y REGIS: *Las obsesiones y los impulsos;* Madrid, 1910.
PI Y SUÑER-R. LAVIN: *Fisiología general;* Barcelona, 1910.
POUILLET: *Estudio médico-psicológico sobre el onanismo en el hombre;* Madrid, 1884
— *Estudio médico-filosófico del onanismo en la mujer;* Madrid, 1891.
POZZI: *Traité de Gynécologie;* Paris, 1905.
PRISCO: *Filosofía del derecho individual;* Madrid, 1891.

RACIBORSKI: *Traité de la menstruation;* Paris, 1868.
RAYMOND: *Pathologie nerveuse;* Paris, 1910.
— *Leçons sur les maladies du système nerveux,* 6 vol., 1896-1903, Paris.

Ruiz: *Tratado de psiquiatria;* Calleja, Madrid.
Raymond de Metz: *L'encéphale,* 10 février 1911.
— *Précis des maladies mentales;* Paris, 1909.
Riebing: *L'hygiene sexuelle et ses conséquences morales;* Paris, 1895.
Ribot: *Les maladies de la volonté;* Paris, 1909.
— *L'hérédité psychologique;* Paris, 1902.
— *Revue philosophique,* octobre 1879.
Robin: *Traité de thérapeutique pratique;* Paris, 1913.
Rochelle (Giovanni della): *La suma di anima;* Prato, 1882.
Roubinovitch: *Délires fébriles,* in Ballet.
— *Intoxications cérébrales accidentelles et transitoires.*
— *Troubles mentaux dans les lesions cérébrales congénitales ou infantiles,* in Ballet.
Royo-Villanova: *Patologia y clínica de la corteza cerebral;* Zaragoza, 1907.

Saint-Vel: *De la douleur physique et morale;* Paris, 1884.
Scotus (Duns): *Reportata parisiensia;* Lugduni, 1639.
— *Commentaria ozoniensia;* Quaracchi, 1912.
— *De rerum principio;* Quaracchi, 1910.
Seglas: *Considérations sur les regles et les éléments du diagnostic général dans les affections mentales,* in Ballet.
— *Séméiologie des affections mentales.*
Sergi: *Las emociones;* Madrid, 1906.
— *La psychologie physiologique;* Paris, 1888.
Simonin: *XXII Congreso de alienistas franceses;* Túnez, abril de 1912.
— *Sociedad de Medicina militar francesa,* diciembre de 1910.
Sollier: *Psychologie de l'idiot et de l'imbécile;* Paris, 1891.
Sotas (J.): *Contribution a l'étude anatomique et clinique des paralysies spinales syphilitiques;* Thèse de Paris, 1894.
Soupault: *Les dyspepsies nerveuses;* These de Paris, 1893.
Strümpell: *Traité de Pathologie spéciale et de thérapeutique,* t. III; Paris, 1914.

Taboada: *Revista de Cirugía y Medicina prácticas,* t. 47; Madrid.
Tanquerey: *Synopsis theologiæ moralis et pastoralis;* 1912.
Testut: *Tratado de anatomía humana;* Salvat, Barcelona.
Thomas (Sanctus): *Opera Omnia;* Paris, 1889.
Triboulet Mathieu Mignat: *Traité de l'alcoolisme;* Paris, 1905.

Vallon: *La pathologie mentale au point de vue administratif et judiciaire,* in Ballet.
Van Gehuchten: *Les centres nerveux cérébro-spinaux;* Louvain, 1908.
Vibert: *Précis de Médecine légale;* Paris, 1911.
Vidal: *Étude médicale, physiologique et philosophique de la femme;* Paris, 1912.
Vigouroux (A.): *La Clinique,* mai 1911.
Vigueroux y Juquelier: *El contagio mental;* Madrid, 1906.
Vladoff: *L'homicide en pathologie mentale;* Paris, 1911.

Weygandt: *Atlas-Manuel de Psychiatrie;* Paris, 1904.
Wundt: *Éléments de psychologie physiologique;* Paris, 1886.

Zilgien: *Précis de thérapeutique clinique et de pharmacologie;* Paris, 1914.

Alia etiam quamplurima perlegimus opera necnon ephemerides professionales, ut melius ac firmius stabiles redderentur assertiones nostræ.

INDEX GENERALIS

CONFESSARIO BENEVOLO. 5
PROLEGOMENA 7

§ I..... De natura theologiæ moralis pathologicæ . . 7
§ II ..... De necessitate theologiæ moralis pathologicæ . 8
§ III.... Moralis clinica debet esse experimentalis . . 9

Liber I. De perturbationibus organicis

CAPUT I..... De natura psychologiæ pathologicæ: Notiones elementales. 11

§ I..... De læsionibus et toxi-infectionibus organicis . 11
§ II ..... Relatio existens inter læsiones organicas et perturbationem mentalem 14

CAPUT II ..... De limitibus psychopathologiæ in moralibus quæstionibus 16

§ I..... Natura psychopathologiæ. 17
§ II ..... De actione mentalis infirmitatis in centra nervea 18
§ III.... De natura actus moralis 19
§ IV .... De conditionibus actus moralis 20
§ V..... De limitibus psychopathologiæ 23

CAPUT III.... De psychosi infectionum et intoxicationum in genere 27
» IV.... De psychopatia alcoolismi 29
» V..... De infectione syphilitica in centris nerveis jacente 34
» VI.... De psychopatia chretinismi. 39
» VII .. De psychosi diabetica et de appendiciti. 42
» VIII. De psychosi gastronervea 46
» IX.... De psychosi a dolore producta . . . 51

CAPUT X..... De psychopatia pubertatis 55
» XI.... De automatismo nerveo 60
» XII.. De psychopathologia et responsabilitate moribundi. 68
» XIII. De epilepticorum responsabilitate . . 78

Liber II. De perturbationibus ideativis

CAPUT I..... De statibus insufficientiæ psychologicæ. 81

§ I..... Insufficientia mentalis rachitismi causa . . 81
§ II..... De psychopathologia in aliquibus formis insufficientiæ mentalis 83
§ III.... Psychopathologia ignari atque imbecillis . . 84
§ IV .... De consequentibus psychopaticis ex debilitate mentali ortis 85
§ V..... De defectibus in associatione idearum . . . 87
§ VI .... Traumatismi craneales 88
§ VII... De insufficientia morali 90

CAPUT II..... De limitibus irritabilitatis organicæ in processibus conscientiæ moralis . . 93
» III.... De sensatione et conscientia 96
» IV.... De perturbationibus attentionis . . . 99
» V..... Pathologia autosuggestionis. 101
» VI.... De obsessionibus pathologicis 104
» VII .. De statibus passionalibus pathologicis . 107
» VIII. De neurastenicis 110
» IX.... De psychastenicis 117
» X..... De scrupulosis 121
» XI.... De hystericis. 127
» XII.. De quibusdam formis delirii pathologici. 132

Liber III. De perturbationibus emotivis

CAPUT I..... De morali emotionum pathologicarum gravitate ac consequentia 135
» II..... De prædispositionibus pathologicis . . 139
» III.... De characteribus pathologicis maniæ . 143
» IV.... De statibus melancholicis 147

CAPUT V..... De formis variis homicidii inculpabilis. 155
» VI.... De infirmitatibus voluntatis 162

Art. I..... In quo consistant infirmitates voluntatis . . 162
» II..... De mechanismo actuum voluntariorum. . . 164
» III .... De causis infirmitatem voluntatis producentibus. 167
» IV..... De statu et phænomenis abulicis. 168

CAPUT VII... De agitationibus coactis 170

Art. I..... De agitationibus mentalibus 170
» II..... De agitationibus motricibus 171
» III .... De agitationibus emotionalibus 173

CAPUT VIII. De principiis psychotherapicis. . . . 175
» IX.... De methodis physicis in psychastenicis. 178

Liber IV. De perversionibus sexualibus

CAPUT I..... Anatomiæ et physiologiæ quædam notiones elementales. 182

Art. I..... Notiones anatomiæ normalis: apparatus masculinus. 182
» II..... Genitale femineum. 185
» III..... Notiones physiologiæ normalis: sexualitas masculina 188
» IV..... Notiones physiologiæ normalis: sexualitas feminea 190

CAPUT II..... De nonnullis perturbationibus genitalibus organicis. 192

Art. I..... De vaginismo 192
» II..... De infectionibus vulvo-vaginalibus 194
» III .... De infectione blenorragica in utrisque sexibus. 196
» IV..... De prurito in utrisque sexibus 199
» V ..... De psychopatia a graviditate producta . . . 201
» VI .... De neurastenia genitali in utrisque sexibus . 204

CAPUT III.... De psychopatia menstruationis . . . 208
» IV.... De spermatorrea 212
» V..... De automatismo sexuali, seu de autoerotismo 216
» VI.... De pollutionibus: principia 221
» VII .. De nonnullis pollutionibus pathologicis. 224
» VIII. De mansturbatione pathologica . . . 229

CAPUT IX.... De pathogenia pollutionum et manstur-
bationum irresponsabilium. . . . 232

Art. I..... De temperamento erotico. 232
» II..... De idiosincratiis pathologicis. 238
» III .... De hereditate erotica 239
» IV..... De furore erotico 242
» V..... De alterationibus in organis spermaticis . . 246

CAPUT X..... De perversionibus sexualibus 250

Art. I..... De fetichismo pathologico 250
» II..... De exhibitionismo pathologico 254
» III.... De sadismo pathologico 255
» IV..... De masochismo pathologico 257
» V..... De inversione sexuali pathologica 258
» VI..... De erotomania pathologica 265

CAPUT XI.... De therapeutica sexuali 269
» XII.. De educatione castitatis. 272
» XIII. De obstaculis castitatis 278
» XIV. De doctrina scholastica quoad sensua-
litatem. 283
» XV... De responsabilitate morali in statibus
psychopathicis 289

Explicatio vocabulorum quorum comprehensio diffi-
cilis redditur 301
Index alphabeticus auctorum quorum opera citantur. 307

13,377 250.2
B16

13,377 250.2
B16

Barbens, Francisco A.

AUTHOR

Introductio Pathologica ad Studium

TITLE Theologicae Moralis

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED
8/19/55	Cordero	

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY